…Z
…ELE III
…0

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
C
31
NAPOLI

102 — M. 31 —

Digitized by Google

1794

ex libris relictis ab P. Henrico Burlamacchio.


11
C 61

~~XXXIV. G. 6~~

~~102. A. 138~~

Digitized by Google

Digitized by Google



DE

VRBIS VERONÆ

VIRIS DOCTRINA,

&

BELLICA VIRTVTE

ILLVSTRIBVS.

OPVSCVLVM

Onuphrij Panuinij Veron.

AD

ALEXANDRVM

Ex Comitibus Nogarolis

IVL. CÆS. F.

13

VA1
1505935

Digitized by Google

ILLVSTR.^MO COMITI ALEXANDRO NOGAROLÆ

ANGELVS TAMVS TYPOGRAPHVS S. P. D.

O*NVPHRIVM PANVINIVM Ciuem noſtrum bonarum quidem litterarum omnium, & Theologię notitiâ, inſtructiſſimum, ſed præcipuè Hiſtoricum ſummum, & Antiquarium extitiſſe, & proindè cōi Patriæ noſtræ ſummum eâ profeſſione, ſplendorem attuliſſe, omnes paulò cordatiores promptè fatentur, cū valdè adhuc adoleſcens mira animi propenſione ad huiuſmodi præclara ſtudia incitaretur, vt ipſe ingenuè de ſe teſtatur, propterea & à Paulo III. Pont. Max. & à ſummo Cardinali Farneſio, dùm viueret, ſemper plurimi eſt factus: & ni improuiſa mors ipſum adhuc ætate haud valdè prouectum ſuſtuliſſet, proculdubiò eius virtus, & eruditio à tātis Patronis, & Męcenatibus Romæ fuiſſet cohoneſtata. Ex his porrò Chronologia Veronēſi manuſcriptâ amicorum ope libellum hunc nuper excerptum, meis Typis*

Digitized by Google

excudendum curaui, in quo de Viris Veronenſibus litterarum, & bellicâ laude Illuſtribus agit, ne diutius, quàm par foret, defunctorum præconia veluti intermortua iacerent, & vt guſtus aliquis eius Chronologiæ candidis Lectoribus exhiberetur, quæ aliquando (cum Deus dabit) in lucem euulgari, & Veronenſibus rebus vita, & decor conciliari tanti Hiſtorici præſidio (haud abnuentibus Ciuibus) poterit. Hoc opuſculum exiguum, & leuidenſe ſi molem ſpectemus, maximum, & eximium ſi Auctoris dignitatem, & nominis celebritatem; tibi (Comes ornatiſſime) inſcribendum, & dedicandum eſſe exiſtimaui, tùm vt me Domus veſtra præclariſſima clientem, & ſub veſtro tutiſſimo Patrocinio pro veſtra ſumma benignitate ſuſciperetis, tùm vt auctori clariſſimo iã defuncto, & opuſculo ipſi Patronũ conciliarem: cum Illuſtriſs. Parens tuus Co. IVL. CÆSAR, Co. FERDINANDVS, Co. M. ANTONIVS NOGAROLÆ eius conſobrini (vt interim Collateralẽ BAILARDINVM Illuſtriſs. & Excellentiſs. virtute, & eruditione conſpicuũ omittam) bonarum artium amantes, & perſtudioſos omnes fateantur: Adiunxi etiã Elogium pereruditum Bernardi Bruſchi viri doctiſſimi, & percelebris, quo Domus Nogarolę originem, & viros in ea maximos meritis præconijs eſt breuiter complexus. Hilari ergò fronte libellum hunc ſuſcipe (Comes præclariſſime) & Tamum tuum ſub patrocinij tui vmbrâ, & tutelâ vigere, & fauoris tui aurâ prouehi pro eximiâ quâ polles auctoritate ne graueris. Deus verò O.M. te, Familiamq; Nogarolam ampliſſimam gratiarum omniũ cumulo adaugeat, & locupletet. Vale.

Die xij. Aprilis Anno à reparata generis humani ſalute
M D C X X I.

NOGAROLAE GENTIS ELOGIVM.

IVVAT herclè, æternùmq́; iuuabit, ad cumulatum Veronę vrbis decus, NOGAROLAE gentis ſplendorem anguſto orationis ambitu poſteris commendaſſe; *Bonos* enim *omnes Nobilitati fauere*, Tullij auctoritate certiores reddimur; *& quia apud omnes clarorum hominum, etiàm mortuorum, ſenex valere debet memoria;* *Pro Sext.*

& quia vtile eſt Reip. multos eſſe nobiles, qui, quæ maiorum preſſa veſtigia cernunt, eadem & ipſi perſequi conantur. Verùmenimuerò quis eſt ità veteris memoriæ ignarus, & inſcientiæ omnium hiſtoriarum ſeruus, qui, ſi minùs è ſcriptorum monumentis cognouerit, at auditione certè aliquâ acceperit, NOGAROLAM gentem Aquitaniæ priſcam ſuam debere originem; eamq; honorifico Comitatus titulo colluſtratam, octingentis ab hinc annis intemeratâ perfrui nobilitate? Vero verius illud eſt, Berengario III. Italiæ Rege, GALEOTTVM pacis, & belli artibus vndiq; clarum, primum ex hac familiâ Veronam demigraſſe, hîcq; fortunarum ſuarũ domicilium feliciter collocaſſe; oppido familiæ ſuæ cognomine extructo. Cùm autem innumeri propè ſint ex hac gente, qui illuſtri armorum ſtudio ſempiternam ſibi laudem compararunt; duorum tantùm nomina longè inter ſe diſtantium ſeculorum retuliſſe, abundè erit. Hos inter BAILARDINVS ciuili virtute eminentiſſimus, & factis ſtrenuè pro Henrico VII. Imp. clariſſimus, præcipuus emicat. Cui Patauinâ præturâ, & Vicetinâ egregiè perfuncto,

Ber-

Bergomiq; Cæſaris vices gerenti, Albertus Scaliger, Veronæ Regulus, Catharinam filiam connubio iunxit; Lonatum, Brixienſis agri oppidum, virtutis nomine in dominatum obuenit; & Caſalenſis expugnatio decus attulit incomparabile. Nec maiorum meritis alter GALEOTTVS nititur: quippè qui talis fuit, ac tantus; vt, etiàmſi alti ſanguinis ornamenta deeſſent, eximium ipſe ornamentum omnibus eſſe poſſet. Effare Maria, Hunnorum Regina, effare magnanime Albane præclara Viri facinora, quibus Belgico bello maximoperè inclaruit. Quoniam verò,

PRINCIPIBVS *placuiſſe viris, non vltima laus eſt:* *Horat. lib. 1. ep. 17.*

eximiæ proculdubiò dignationis extitiſſe GALEOTTVM, non inficiabimur; in cuius virtutis honeſtamentum indicia ſummorum Principum tota fuere, & propitiata. Philippo II. Hiſpaniarum Regi, perſpicaci ingeniorum exiſtimatori, acceptus ità fuit; vt, eius filiâ primogeniâ de ſacro fonte ſuſceptâ, eundem, legatione ad Cliuenſem Principem ſedulò adminiſtratâ, domeſtici Burgundiæ Penſionarij titulo (acceſſus ad Regem per hunc datur) inſignierit, & ad

† 4 Gal-

Galliarum Regem legatum decreuerit. A Ferdinando itidem Cæſ. Nepti, in nuptias Philippi Regis properanti, comes adiungitur.

Exultat animus, memoriam literarum gloriâ præcellentium percurrens. E' quorum numero LEONARDVS, Apoſtolicus Protonotarius, laborioſus, & induſtrius ſapientiæ miles, *familiam ducit*. Tanta ſiquidem antiqui moris æmulatione Theologicas diſciplinas complexus eſt; vt Florentiæ in celeberrimo omnium gentium Concilio grauiſſimis de rebus diſceptantem magna nominis claritas ſit conſecuta. Contigit & honeſtiſſima laus ex ſtudio literarum LVDOVICO, optimè de re Philoſophicâ, & Theologicâ merito; à quo diſcere poterat quisquè & quantum cuperet, & quantum caperet. Huius, inter cætera, extant Io. Damaſceni opera accuratiùs, quàm anteà, trãſlata, & opuſculum elaboratum, quo coniugium Catharinæ, Britannorum Reginæ, aduerſus conatum, & impetum oppugnantium validè propugnatur. Nã LEONARDVM iuniorem ideò taciti facimus miſſum; quòd, ille quantus fuerit, ſatis ex Leonis X. Clem.

VIII.

VII. Maximiliani I. & Caroli V. iudicijs cognoſcitur; qui illius virtute, & ſingulari eloquentia freti, grauiſſimarum rerum negotia illius dexteritati, & prudentiæ commiſerunt. *Ferdinandus* ſanè, *vbi ſit certior, Solymanum prima agmina per Thraciam extendiſſe, ad eum cum muneribus, ac æquiſſimis de pace, fœdereque mandatis tres Legatos mittit; quorum princeps erat Leonardus Nogarola, nobilis Veronenſis, literarum, & multarum linguarum peritiá inſignis.* Meritò doctiſſimorum virorum commemorationi ISOTTA, Virgo lectiſſima, adijcitur; in exquiſitas cuius laudes Matth. Boſſus politiſſimè eruditus his verbis exundat. *Tuum ego ingenium, tuam doctrinam, decus, ſplendoremq; intacti corporis tui, abſtinentiam, frugalitatem, orationes, cæteraſque tuas virtutes ſemper venerabor; & inſculptas mente geſtabo: Te in his, & has in te ad magnam Dei laudem, meiq; ædificationem perpetuùm admirabor; in quâ reuixiſſe mihi planè videtur priſca illa Virginum dignitas, quas illuſtres ſempiterno præconio decorauit antiquitas. Sic quoquè editiones, & epiſtolas lego tuas; vt nihil profectò tum minùs, quàm de feminâ, cogitem: ità me tenet carũ dignitas, & cũ lepore,*

Appẽd. ad Sabell.

Recup. Fæſul. ep. 1.

&

& eloquentiâ pondus. Atq; nuper altercationem illam cum Aloyſio Foſcareno, patricio Veneto, & Vrbis noſtræ Prætore, viro præterea optimo, atque grauiſſimo, & egregiè literis culto, qua contenditur, vtrius peccatum grauius extiterit, patris Adæ, an Euæ? in qua tu Euam, ille Adam tuetur, cum voluptate perlegi; mihiq; illud admodum placuit, quòd recenti cum Theologiâ, quæ ornatu nunc caret, tu cultum eloquentiamq; iunxiſti. præclarè nimirum; vt, quæ ſcribendo permulta tractauerat, fieret ipſa ſcribentibus argumentum. Incredibile dictu eſt, quàm multi egregiâ virtute, & ſingulari dignitate florentes, conſpectum, & congreſſum tantæ Virginis, quaſi cœleſte aliquod beneficium, expetentes, Gaditani exemplo, qui T. Liuij nomine, & gloriâ commotus, ad eum viſendum ab vltimo terrarum orbe veniſſe traditur, Veronam confluerent. Beſſarion certè Nicęnus, cui nulla ſapientiæ pars obſcura fuit, admirabatur excellentiſſimum ISOTTÆ ingenium; in eaque virtutes omnes, præcellenti temperamento, & concentu ad admirationem reſpondentes, merito prædicabat teſtimonio. Neque memor priſcæ fœcunditatis

Plin. l. et ep. 2.

ditatis natura noſtris hiſce ſeculis degeneres enixa eſt fœtus. Occurrunt nobis, præ cæteris, IVL. CÆSAR, & BAILARDINVS, fratres, optimis literis optimè inſtructi. Ille, vt natu eſt maior, & ALEXANDRI, FERDINANDI, FABRITII, filiorum ſuo genere digniſſimorum, ſobole felix; ità à multo rerum vſu, innatâquè prudentiâ in omni conſilio exactè cautus, & circumſpectus, non dubiæ virtutis exemplis auita calcat veſtigia. Hic, honorificentiſſimo Senatusconſulto in COLLATERALEM cooptatus (dignitas hæc eſt luſtrandi totius exercitus Veneti) benignitate ſplendidiſſimi ingenij, celſo infractoq; animo, antiqua familiæ decora eximiè renouat; quantumq; ſplendoris à maioribus accepit, eiſdem tantundem facillimè retribuit. Hæc porrò vel ſatis ſunt ad ſingularem claritatem NOGAROLARVM declarandam; vel non video, quid ſatis eſſe poſſit.

B. Bruſchus.

Digitized by Google

INDEX

VIRORVM VERONENSIVM DOCTRINÂ, ET BELLICÂ VIRTVTE CLARORVM.

A

ADAMVS Fumanus 46
Aleardus Pindemontius 38
Alexander Nogarola 32
Alexander Benedictus 39
Aloyſius Mundella 39
Altichierius Pictor 69
Antonius Becaria 55
Antonius Fumanellus 37
Antonius Parthenius 56
Auantius 55
Auguſtinus Beatianus 45

B

BAptiſta Guarinus 52
Bartholomæus Cæpolla 43
Bartholomęus Sanſebaſtianus 68
Bartholomæus Lombardus 30
Benedictus Morandus 55
Bernardus Campanea 35

Ber-

Bernardinus Donatus 39
Bernardinus Veronenſis 55

C

CATVLLVS 1
Caius Gauius Strabo 61
Canis Grandis Scaliger 63
Canſignorius Scaliger 65
Chriſtophorus Lanfranchinus 43
Cornelius Nepos 6

D

DOminicus Monteſaurus 38
Dominicus Panuinius 42
Domitius Calderinus 53
Donatus Veron. 56

E

ÆMILIVS Macer 7

F

FRanciſcus Felicianus 44
Franciſcus Pedemontanus 39
Franciſcus Philipp. Pedemontius 56

G

GAbriel Zerbus 40
G. Gauius Strabo 61
Genebria Nogarola 59
Georgius Caballus 67
Guarinus Veron. 50
Guillelmus Paſtrengus 47

H

HIeronymus Auancius 56
Hieronymus Bagolinus 33
Hieronymus Fracaſtorius 29
Hieronymus Leurſius 27
Hieronymus Plumatius 37
Hilarion Monachus 37

Iacobus

I

Iacobus Vermes 66
Ildoualdus Rex 62
Io. Antonius Pantheus 54
Io. Baptiſta Bagolinus 57
Io. Baptiſta Confalonerius 49
Io. Baptiſta Gabia 33
Io. Baptiſta Montanus 36
Io. Franciſcus Burana 31
Ioannes Arcularius 40
Ioannes Cotta 45
Ioannes Diaconus 48
Ioannes Iocundus 58
Ioannes Madius 42
Ioannes Lauagnolus 35
Ioannes Salernus 52
Iſotta Nogarola 60

L

Leonardus Nogarola 31
Ludouicus Nogarola 32
Ludouicus Campanea 27
Ludouicus Vermes 67
Luchinus Vermes 66

M

Maſtinus Scaliger 34
Matthæolus 64
Matthæus Boſſius 26
Matthæus Bouius 58
Michaël Architectus 69

O

Onuphrius Panuinius 48

P

Paulus Æmilius 46
Paulus Laciſius 59

Paulus

Digitized by Google

Paulus Luciaſcus 67
Pacificus Archidiaconus 23
S. Petrus Martyr 25
Petrus Franciſcus Zinus 59
Petrus Pitatus 44
Petrus Scaliger 25
Petrus Vermes 65
Piſanus Pictor 70
Plinius Secundus 9
Plinius Cæcilius Nep. 19

R

RAynaldus Grammaticus 52
Riciardus S. Boniſacij 62

S

STephanus Pictor 70

T

TOrellus Sarayna 47
Torpillius Eq. 69

V

VIncentius Ciconia 28
Vincentius Roſetus 59
Vincentius Ruffus 68
Vitruuius 8

Z

S. ZEno Epiſc.& Martyr 21

DE
VRBIS VERONÆ
VIRIS DOCTRINÂ, ET BELLICÂ
VIRTVTE ILLVSTRIBVS
OPVSCVLVM
ONVPHRII PANVINII VERONEN.

DE C. VALERIO CATVLLO.

VETVSTISSIMVS omnium noſtræ Ciuitatis eruditorum, quorum ad nos memoria peruenerit, CATVLLVS Lyricorũ Poëta celeberrimus fuit. Neminem enim ante eum Veronę fuiſſe inueni, cuius monumenta ad nos peruenerint, vel aliquid litteris mandaſſe, traditũ ſit. Præclarus hic Poëta, quemadmodum Euſebius, in chronicis ſcribit, Veronæ natus eſt, quo tẽpore M. Terentius Varro, & M. Tullius Cicero in vrbe clarebant. Ceterùm non humili, aut obſcuro loco natus eſt. Si quidem eius pater (auctore Trãquillo in Cęſ. cap. xxxiij.) Iulij Cæſaris hoſpitio vſus eſt. Patriæ ſuæ Veronæ ſæpè mentionem facit in ſuo poëmate; vt ad Libellum ſuum,

Poëtæ, tenero meo ſodali,
Velim Cęcilio Papyre dicas
Veronam veniat, noui relinquens

A Comi

Comi mœnia, lariumq́; littus. Et ad Mallium:

Quare, quòd ſcribis, Veronæ turpe Catullo
Eſſe, quòd hic quisquis de meliore notâ.

Item de Cęlio, & Quinctio:

Cælius Auphilenum, & Quinctius, Auphilenam
Flos Veronenſium deperiunt, iuuenum,
Hic fratrem, ille ſororem, hoc eſt, quod dicitur illud
Fraternum verè dulce ſodalitium,
Cui faueam potius Cęli? tibi, nam tua nobis
Perſpecta exigitur vnica amicitia,
Cùm veſana meas torreret flamma medullas,
Sis felix Cæli, ſis in amore potens.

Et in Egnatium ſe Tranſpadanum vocat ijs verſibus:

Si vrbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tyburs,
Aut parcus Vmber, aut obeſus Hetruſcus,
Aut Lanuuinus ater, atq́; dentatus,
Aut Tranſpadanus, vt meos quoq́; attingam.

VALERIVS autem CATVLLVS primò traditur à Mallio Romam deductus, cùm adhuc in tenerâ ætate ageret: paulò mox ingenij facilitate, & doctrinâ, adeò Romæ acceptus, atq; ciuibus gratus fuit, vt M. Tullij patrocinium meruerit; quod ipſum eleganti Epigrãmate ingenue teſtatus eſt, quo gratias Ciceroni patrono egit:

Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotq́; fuere Marce Tulli,
Quotq́; poſt alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimum omnium poëta:
Tantò peſſimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Mallium, & eius nuptias magno ſtudio celebrauit. Fratrem habuit, cuius præproperam, & importunam mortē deflet ad eundem Mallium, cum quo ſe excuſat, parum ſibi

ſibi licere veteres amores (vt antea) decantare, quoniã fratrem amiſerit; ex quo ſtudium inquit, ſuum ſcribendi carminis abieciſſe: ſic enim ad Mallium:

Sed tibi ne mea ſint ignota incommoda Malli,
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium,
Accipe queis miſer fortuna fluctibus ipſe,
Ne amplius à miſero dona beata petas.
Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cùm ætas floridia iter ageret,
Multa ſatis luſi, non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit, ò miſero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater,
Tecum vnà tota eſt noſtra ſepulta domus.

Inter cęteros amicos Furium, & Aurelium dilexit, Cinã quoq; & Cornificium Fabullum, & Veranium, quem alicubi, & Veramolũ blanditer appellat, puellam prætcrea Ipſithillam ciuem ſuam, & Clodiam P. Clodij Ciceronis inimici ſororem, & Q. Metelli vxorem amauit, quam ficto nomine Lesbiam dicit, vti Appuleius teſtatur in oratione ad Claudium Maximum Proconſulem. Villam ſumptuoſam, quemadmodum eius ingentes reliquiæ adhuc indicant, habuit in peninſula Lacus Benaci Sirmione, quam eo carmine celebrauit:

Peninſularum Sirmio, inſularumq́
Ocelle &c. Eruditorum omnium tàm noſtri, quàm vetuſti ſæculi conſenſu *Docti* cognomen accepit, ità.n. peculiari epitheto, ab Ouidio, & Martiale cenſetur. Atq; hunc quidem, ex antiquis Ouidius. Ex noſtratibus verò doctiſſimus Petrus Victorius Virgilianæ maieſtati opponit, tantum nominis apud eruditos, ac laudis eſt conſequutus. Sed & verſus ipſius, quamquã, vt duriuſculi,

notantur, quod etiàm vterq; Plinius aſſerit: Sectatores tamen in his habuit complures, ſicuti Pompeium, Saturninum, & Sentium Augurem, qui Catulli epigrammata, ac Licinij mirâ diligētiâ, & ſtudio ſuntęmulati; Valerius etiã Martialis Catullum ſibi præponit; ità.n. ad Mactum:

Nec multos mihi præferas poëtas,
Vno ſed tibi ſum minor Catullo.

Opus ſuum ad C. Cornelium Nepotem, de quo mox dicam, miſit. Diuiditur autem in libros tres, vt primus Lyricos, ſecundus Elegidia, tertius autem Epigrammata contineat. Elegidium de comâ Berenicis, ex poetâ Callimaco, in latinos numeros conuertit, eamq; ad Ortalum amicum miſit; quæ in elegiarum adhuc libro legitur. Catullus à Quinctiliano, & Diomede inter Iambicos reponitur, ab alijs inter Lyricos. In Atticis verò noctibus, vt elegantiſſimus, & mundiſſimus, ab eruditiſſimo Gellio laudatur, qui eius etiàm carmen, vt venuſtiſſimũ, celebrat. Neq; illud omittendũ, fuiſſe ab ipſo Catullo, & alia compoſita; nàm & à latinis Grammaticis afferuntur verſiculi aliquot, quos in eius opere haud inuenies, ex quo deprauatum adhuc, inuerſumq; alicubi Catulli carmen exiſtimatur; Tùm illius in primis, quo ægnatinis ineptijs ipſum illudit, quod ex ipsâ lectione cōſtare omnibus poteſt. Scripſit & carmen Ithyphalicum, vt refert Terentianus Maurus ad Nouatemum, qui hos Catulli verſiculos citat;

Et fermè modus hic datur à plerisq; Priapo;
Inter quos cecinit carmen quoq; tale Catullus:
Hunc lucum tibi dedico, conſecroq;, Priape,
Qua domus tua lampſaci eſt, quaq; ſilua Priape,
Nam te præcipuè in ſuis vrbibus colit ora
Helleſpontia cæteris oſtreoſior oris.

Iulium Cæſarem, maximè Formianum Mamurram, & Nonium

Nonium Strumã Iambicis nominatim proſcidit, ex veterum conſuetudine;vt C.Lucullus Iambicorum auctor, Luciliusq́;, & Næuius. Animaduerſione porrò dignum illud videri poteſt, quod Tranquillus in Cæſare ſcribit. *Valerium* (inquit) *Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita, non diſſimulauerat, ſatisfacientem, ideſt teſtibus præſentibus affirmantem, pęnitere ſe, quòd ea ſcripſiſſet (hanc enim eſſe vin in his rebus verbi ſatisfacio, ſatis ex Amphitbruone Plauti, & Terentij Adelphis, & Cicerone pro Roſcio comœdo intelligi poteſt) eâdem die adhibuit cœnæ, hoſpitioq́; patris eius, ſicut conſueuerat, vti perſeuerauit.* Mortuus autem Romæ eſt iuuenili admodùm ætate, annum circiter xxx. agens, vt quidam tradunt: quo tẽpore P. Maro in vrbe Cremonâ ſtudijs operã dabat. Vulgatam quoq; de Val. Catullo carmina Ouidij amorum libro iij. eleg. xiv. extant:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

& Martialis:

Tantùm magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantùm parua ſuo Mantua Virgilio.

Ouidius in elegiâ, in quâ deflet Tibulli mortem:

Obuius huic venies hederâ iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catullo tuo.

Catulli carmina Antonius Parthenius Laziſius Veroñ. commentarijs illuſtrauit primùm, deinde paulò ante M.Ant. Muretus Gallus ipſum peritiſſimè interpretatus eſt. Veronæ verò Ciues noſtri, cũ editiſſimo curiæ loco inſignium virorum Veronenſinm ſimulacra collocarent, imaginem quoq; Catulli inter reliquas poſuerunt. Hi viui magno decori Vrbi noſtræ fuere, & nunc memoriã adeò inſignem adepti ſunt. C. Valerij Catulli, Plinius vterq́;, Ouidius, Martialis, & reliqui poſteriores ſcriptores honorificentiſſimè, & frequenter meminerunt.

Digitized by Google

C. CORNELIVS NEPOS.

COnſtantiſſimo Ciuitatis noſtræ teſtimonio C. CORNELIVM Nepotem, Virum doctiſſimum, & antiquitatum omnium peritiſſimum Veronenſem fuiſſe traditur. Cui in ſummâ curiâ cum reliquis Veronenſibus illuſtribus etiam ſtatua poſita eſt ex publicâ auctoritate. Eum Plinius lib. 3. cap. 18. *Padi accolam* vocat, & alibi ſæpius de eo mentionem facit; Ortum ſiquidem in Vico Veronenſium Hoſtilia, ad Padi ripas ſito; vt Tacitus auctor eſt lib. 19. hiſtoriæ Auguſtæ. Pius quoq; Papa II. in Aſię deſcriptione eũ Veronenſem apertè fuiſſe, ſcribit. Ad hunc Catullus opus ſuum miſit tamquã Ciuem ſuũ:

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arido modò pumice expolitum,
CORNELI? tibi, namq; tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putares nugas
Iàm tùm, cùm auſus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter, & laborioſis.
Quare habe tibi quicquid eſt libelli,
Qualecunq; quidem ora per virorum
Plus vno maneat perenne ſæclo.

Hic in Vrbe, Ciceronis, & Cæſaris tempore, vixit, peruenit vſq; ab Auguſti principatum, ſcripſit diſertiſſimè Illuſtriũ virorum vitas, quarũ tantum Pomponij Attici extat, quæ cęterarũ facilè ſpecimen ferre poteſt; quæ cũ Ciceronis epiſtolis ad Atticum excudi ſolet. Eius Illuſtrium virorum libri XVI. citantur à Cariſio Grãmatico. Scripſit accuratiſſimè Rerum Romanarum Chronicum, vel de temporibus librum, in quo breui explicatione

omnis

Digitized by Google

omnis æui memoriam complexus eſt;quod à Solino citatur, eiusque ſubinde ſupraſcriptis verſibus meminit Catullus. Circunferuntur ſub eius nomine excuſſa Daretis Phrygij hiſtoria de bello Troiano verſibus heroicis latina facta: Item periocha ſex librorũ Daretis ſermone ſoluto eodem volumine impreſſa; & poſtremò epiſtola Alexandri Magni ad Ariſtotelem de Indiæ ſitu, populis, & bellicis latinitate donata. Quæ an eius Germana fuerit, incompertum.

C. ÆMILIVS MACER.

C. ÆMILIVS MACER, Poëta illuſtris, qui ſub Auguſti principatu de auium generatione, de ſerpentibus, de naturâ, viribusq; herbarũ carmine libros conſcripſit, Veronenſis etiã, vt in chronicis Euſebius auctor eſt, fuit. Hic citatur apud Plinium in auctorum cathalogo, qui in librum 1x. & x. naturalis hiſtoriæ multa ex Macro tranſtulit. Æmilij Macri poëtæ coëui ſui librorum meminit Ouidius his verſibus libro v. de Triſtibus.

Sæpè ſuas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet ſerpens, quæ iuuet herba, Macer.

Quem etiam Troianum bellum ſcripſiſſe, in amoribus innuit; cùm in elegiâ ad eum ſcriptâ ità cantet:

Carmen ad iratum dùm tu perducis Achillem,
Primaquè iuratis induis arma viris,
Nos Macer ignaua Veneris ceſſamus in vmbrâ,
Et tener auſuros grandia frangit amor.

Demùm elegiam hac ad Macrum apoſtophe concludit:

Nec tibi, quà tutum, uati Macer arma canenti
Aureus in medio Marte tacetur Amor.
Et paris eſt illic, & adultera nobile crimen;

Et comes extincto Laodomeia viro.
Si bene te noui, non bella libentiùs iſtis
Dicis; & à veſtris in mea caſtra venis.

De Apibus Seruius ſuper Virgilium iv. Georgicorum, & 1. Æneid. Theriacõr Chariſius legitur, liber quidam de herbarum virtutibus carmine hexametro, excuſſum ſub Æmilij Macri nomine; ſed alius omninò eſt ab Æmilio Macro Poëtâ Veronenſe, de quo ſcribunt Ouidius, & Volaterranus lib. xvij. Vrb. comm. Alterius etiã Macri mentionem facit Plinius Cæcilius epiſtolarum libro iij. epiſtolâ: *Pergratum eſt mihi*. Huius diuina opera, vt plurimorum reliqua, maiorum incuriâ, temporumque malignitate hodie deſiderantur. Huic tàmquàm Veronenſi maiores noſtri in ædito Curiæ loco, cum reliquis Viris Illuſtribus noſtræ Ciuitatis ſtatuam marmoream locarûnt. Cęterum Æmilius Macer Veronenſis Poëta, vt Euſebius idem auctor eſt, obijt in Aſiâ.

L. VITRVVIVS.

INTER cæteros eruditos noſtræ Ciuitatis in ſummo Curiæ tecto primum locum obtinet VITRVVIVS. Nàm architecto architectum gratificari voluiſſe exiſtimo. Quem Veronenſem fuiſſe, maiorum conſtans, & per manus tradita opinio, & hæ litteræ in poſtibus Arcus Caſtri Veteris inciſæ, confirmare videntur. L. VITRVVIVS. L. L. CERDO. ARCHITECTVS. Cæterum an is Vitruuius quidam Veronenſis, an is, qui decem libros de Architecturâ Cæſari Auguſto ſcripſit, fuerit, incompertum. Ego hunc noſtrum Veronenſem alium ab eo fuiſſe ſemper exiſtimaui. Ille enim Marci, hic Lucij prænomen; ille Pollionis, hic Cerdonis cognomen

Digitized by Google

men habuit; ille,quantùm ex eius ſcriptis elicitur, Romanus, & ingenuus; hic Veronenſis, & Libertus fuit. Cæterum quisquis hic noſter fuerit, Architecturæ peritiſſimus, quantùm ex eius arcus veſtigijs intelligi poteſt, fuit; ideoq; haud indignus,qui in reliquorum illuſtrium virorum albo exſcriberetur. Eius pręterea complura,& egregia opera Veronæ fuiſſe, proculdubio teſtantur, & ſi quid coniectari licet,cùm forum operis arcus Caſtri veteri antiquiſſimũ ſit à vero haud abhorreret,ab eodem quoque Amphitheatrum, & Theatrum condita fuiſſe.

C. PLINIVS SECVNDVS.

HVNC Veronenſem fuiſſe, quàmquàm à pleriſq; in dubium res clariſſima reuocetur,ità apertum,& manifeſtum eſt,vt nihil clariùs eſſe exiſtimẽ,rem omnem,veterũq; Scriptorum verba accuratè conſideranti. Ipſe in primis in præfatione librorum hiſtoriæ naturalis ad T. Veſpaſianum Cæſarem Auguſti Veſpaſiani filium, ſe apertè Veronenſem fuiſſe teſtatur,cum his verbis,Catullum conterraneum ſuum vocat. — *Namq; tu ſolebas Meas eſſe aliquid putare nugas. Vt obiter emolliã Catullum conterraneum meum.* Agnoſcis & hoc caſtrenſe verbũ. Ille enim,vt ſcis,permutatis prioribus ſyllabis duriuſculum ſe fecit, quàm volebat exiſtimari à Verãniolis ſuis, & Fabulis. Si.n.ipſe Nouocomenſis (vt quidã tradũt) fuiſſet, non rectè conterraneum dixiſſet. Ex Ptolemæo enim in terrarum dimenſione manifeſtè liquet, Comum in Inſubrum finibus ad Septentrionem,Veronam verò in Venetiâ,inter ſe ſupra mille,& centum ſtadijs diſtantibus,diuersâ regione collocatas. Quod item ex Plinij geographiâ planiſſimè patet,qui Comũ in decimâ Italiæ

regione

Digitized by Google

regione; Veronam verò in Venetiâ xj. regione diuiſis quoque capitibus ſecluſit, quùm & terræ, & regiones longè diuerſæ ſint. Nam ineptè nimiũ argumentantur, qui Comum, Veronamq; in amplâ, tànquàm vnicâ Tranſpadanæ Galliæ prouinciâ, quaſi paruâ intercapedine iunctas aſſeuerant. Hoc enim nomen Conterraneum non tàm latæ ſignificationis eſt. quod ſi eſſet, cùm terra præter dua alia ſignificata, teſte Verrone totum elementũ dicatur. qui ſunt ad extremam Thulem, aut ad Orientẽ, nobis conterranei eſſent, quod perabſurdum eſt: ſtrictioris enim ſignificatus eſt Conterranei vox; quandoquidem, Varrone auctore, à terrâ territorium deducitur: quod ex Pomponij ſententiâ appellatur Agrorum vniuerſitas intra cuiuſq; ciuitatis fines. Sic dictum, quòd magiſtratus eius loci intra hos fines terrendi habet ius. Ex territorio igitur verius, & ſignificãtius conterraneus inflectitur, quàm ab vniuerſo terræ elemento. Conterraneusq; is habetur, qui eiuſdem territorij ſub vno magiſtratu ciuis eſt; ſicuti commilitones appellantur, qui in eodem exercitu ſub vno Imperatore manent, non in diuerſo. Sic & condiſcipuli, qui in eodem gymnaſio ſub vno præceptore condiſcunt; & conciues, qui in eâdem ciuitate ſub vno Principe, vel in republicâ degunt. Ad eundem modum conterraneus non ex diuerſis, & longinquis regionibus, ſed ex eodem territorio meritò appellatur; Quod etiam Laurentius Valla, & poſt illum recentiores etiàm ſenſére. Exemplum de his Plinij verbis ſumentes, Quid inter conterraneum, & conciuem differat: quandoquidem Plinius Catullum, non conciuem, ſed conterraneum ſuum dixerit; quia ex agro Veronenſi fortè, non ex Vrbe ipsâ vterq; ortus fuerit. Hac igitur de cauſsâ Plinium Catulli conterraneum Veronenſem, & Nouocomenſem dicimus. Huic teſtimonio ipſam ſanè

vetu-

Digitized by Google

vetuſtatem nullo æuo, quàmuis longo exoletam, addi-mus, quæ nullius cauillis repudiari poteſt, dùm Vrbs Verona ſuis monumentis ſtabit. Vetuſtiſſimum enim adhuc extat Veronæ marmorei fruſti Epitaphium parẽtibus, & ſorori, ſibiq́; à Plinio ipſo factum, quod inter rudera centum annis ante in agro Veronenſi inuentũ eſt, atque in angulo Domus Com. Ludouici de Nogarolis Viri Illuſtriſs. propè Ædem S. Bernardini, fixũ, litteriſq́; maiuſculis elegantiſſimiſq́; ; itaq́; vt ab eorum temporũ lapicida fingi non potuerint, exaratum. Sic.

C. P—INIV ——		C. PLINIVS
——- NDV ——		C. F. SECVNDVS
——— AVG	Quod ego ità	VI. VIR. AVG.
—RCIVIAE	reſtituendum	SIBI. ET. ORCIVIAE
—CELLAE	cenſeo.	MARCELLAE
—RI		VXORI
—ERI PATRI		C. CELERI. PATRI
—MAE MATRI		ET OPTIMAE MATRI
—MARCELLAE		. . . . . MARCELLAE
T. F. I.		V. T. F. I.

Huic firmiſſimo vetuſtatis teſtimonio adde maiorum noſtrorum publicum conſenſum, & per manus traditã atq; quæ ad nos manauit, opinionem ; quâ ducti maiores ipſi cum cæteris Viris Illuſtribus Veronenſibus ſimulacrum in foro ſtatuêre. Hæc porrò opinio non ſolum apud noſtrates, ſed apud exteros quoque celebris fuit, vt apud Franciſcum Petrarcham, Blondum, Pium II. Pontificem Maximum, & reliquos multos eruditiſſimos viros, à quibus ſemper Veronenſis appellatur. Ex his igitur, quæ in medio attuli, proculdubio affirmare poſſumus, Veronæ ciuem fuiſſe. Eius verò ſororis filium C. Cæcilium Plinium Secundum, de quo mox dicam, Nouocomenſem quidem fuiſſe ortu, verum adoptione

ptione verè, & ipſum Veronenſem fuiſſe, qui Pliniâ ſorore C. Secundi, & C. Cæcilio Nouocomi ortus ab Auunculo Plinio adoptatus eſt, atq; C. Plinius Cæcilius appellatus. Porrò autem de C. Plinio itá ſcribit Tranquillus in libro de Viris Illuſtribus: *C. Plinius Secundus Equeſtribus militijs induſtriè functus, procurationes quoq; ſplendidiſſimas, atque continuas ſummâ integritate adminiſtrauit; & tamen liberalibus ſtudijs tantũ operam dedit, vt non temerè quis plura in ocio ſcripſerit. Itaq; bella omnia quæcumq; cum Germanis geſta ſunt xx. voluminibus comprehendit. Itẽ naturalis hiſtoriæ xxxvij. libros abſoluit. Perijt clade Campaniæ. Nàm cum Miſenenſi claſſi praeeſſet, & flagranti Veſuuio ad explorandas propius cauſſas Liburnicas prætendiſſet, neq; aduerſantibus ventis remeare poſſet, vi pulueris, ac fauillæ oppreſſus eſt, vel vt quidam exiſtimant, à ſeruo ſuo occiſus, quem, deficiens æſtu, vt necem ſibi maturaret, orauerat. Hic in ijs libris xx. millia rerum dignarum ex lectione voluminum circiter duum millium complexus eſt. Primus autem liber quaſi index xxxvj. librorum ſequentium conſummationem totius operis, & ſpeties continet titulorum.* Ego verò in libro, cui Bibliothecæ nomen indidi, itâ de eo ſcripſi .C. Plinius C. F. Secundus Veronenſis Libros xxxvij. hiſtoriæ naturalis, qui, adhuc, quàmquàm magna ex parte deprauati extant, conſcripſit. Opus varium, & multiplex; vt eſt in ipsâ naturâ. In eis quicquid vel Deo immortali, vel rebus creatis conuenit, aut vnquã vſu venerit ſcitu dignum, explicatur: diligentia maior, quam dicendi ratio: quæ & ipſa à quibuſdam ineptis meo iudicio deſiderari ſolet. Vixit ſub Claudio Nerone, & Veſpaſiano Auguſtis. Præfectus claſſis Miſenatiũ: Obijt ſub Tito in Viſuuî incendio, dùm eius cauſſas indagare inconſultius aggreſſus eſſet. Pleraq; alia quæ tem-

temporum iniuriâ periêre, ſcripſit. Extant inter Plinij Iunioris Epiſtolarũ libros epiſtolæ duæ, quibus affatim eius vita, mores, ſtudia, & obitus deſcribitur; quæ cùm ad rem, quàm maximè faciant, ſubijcere placet.

C. PLINIVS CÆCILIVS SECVNDVS MACRO SVO S.

Pergratum eſt mihi, quòd tàm diligenter libros Auunculi mei lectitas, vt habere omnes velis, quæraſq́; , qui ſint omnes. fungar indicis partibus, atq; etiàm, quo ſint ordine ſcripti, notũ tibi faciam. Eſt enim hæc quoq; ſtudioſis non iniucunda cognitio. De iaculatione equeſtri vnus, hunc cùm præfectus Alæ militaret, pari ingenio, curâq́; compoſuit. De vitâ Pomponij Secundi duo, à quo ſingulariter amatus, hoc memoriæ amici, quaſi debitum munus exoluit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia, quæ cũ Germanis geſſimus bella, collegit. Inchoauit, cũ in Germaniâ militaret ſomnio monitus. Adſtit ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſimè victor ibi perijt. commendabat memoriã ſuam, orabatq́; , vt ſe ab iniuriâ obliuionis adſereret. Studioſi tres in ſex volumina propter amplitudinẽ diuiſi, quibus oratorem ab incunabulis inſtituit, & perfecit. Dubij ſermonis octo ſcripſit ſub Nerone nouiſſimis annis, cùm omne ſtudiorum genus paulò liberiùs, & erectiùs periculoſum ſeruitus feciſſet. A fine Aufidij Baſſi triginta vnus. Naturæ hiſtoriarum triginta ſeptẽ opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quã ipſa natura. Miraris, quòd tot volumina, multaq́; in his tàm ſcrupuloſa homo occupatus abſoluerit. magis miraberis, ſi ſcieris, illum aliquandiù cauſſas actitaſſe, deceſſiſſe anno ſexto & quinquageſimo. medium tẽpus diſtentum, impeditumq́; , quâ officijs maximis, quâ amicitia principium egiſſe. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium,

ſummâ

Digitized by Google

ſummâ vigilantiâ . lucubrare vulcanalibus incipiebat , non auſpicandi cauſſâ , ſed ſtudendi , ſtatim à nocte multâ , hyeme verò ab horâ ſeptimâ , vel cùm tardiſſime , octauâ , ſæpè ſextâ ; erat ſanè ſomni paratiſſimi , nonnunquàm etiàm inter ipſa ſtudia inſtantis , & deferentis . Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem , nàm ille quoq; noctibus vtebatur ; inde ad delegatum ſibi officium , reuerſus domum , quod reliquum temporis , ſtudijs reddebat , poſt cibum ſæpè , quem interdiù leuem , & facilem veterũ more ſumebat . Æſtate ſiquid otij , iacebat in Sole , liber legebatur , adnotabat , excerpebatquè : nihil enim legit , quod nõ excerperet . Dicere etiàm ſolebat , nullum eſſe librũ tàm malum , vt non aliquâ parte prodeſset . Poſt Solẽ plerumq; frigidâ lauabatur , deinde guſtabat , dormiebatquè minimùm . Mox quaſi alio die ſtudebat in cœnæ tempus . ſuper hanc liber legebatur , adnotabatur , & quidem curſim . Memini quendam ex amicis cùm lector quadã perperàm pronuntiaſſet , reuocaſſe , & repeti coëgiſſe , huic auunculum meum dixiſſe , intellexeras nempe ? cum ille adnuiſſet , Cur ergo reuocabas ? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus . tanta erat parſimonia tẽporis . Surgebat æſtate à cœnâ , luce , hyeme intra primam noctis , & tànquã aliquâ lege cogente hac inter medios labores , vrbisq; fremitum in ſeceſſu . ſolum balinei tempus ſtudijs eximebatur . Cùm dico balinei , de interioribus loquor . Nàm dùm deſtringitur , tergiturquè , audiebat aliquid , aut dictabat . in itinere quaſi ſolutus cæteris curis , huic vni vacabat . ad latus notarius cum libro , & pugillaribus , cuius manus hyeme manicis muniebantur , vt nè cœli quidẽ aſperitas vllũ ſtudij tempus eriperet , quâ ex cuſſâ Romæ quoq; ſellâ vehebatur . Repeto me correptum ab eo cur ambularem . poteras , inquit , has horas non perdere . nàm perire omne tempus arbitrabatur , quod ſtudijs non impertiretur . Hac intentione tot iſta volumina peregit . Electorumquè cõmentarios centũ ſexa-

ginta

Digitized by Google

ginta mihi reliquit, opiſtographos quidem, & minutiſſimè ſcriptos, quâ ratione multipicatur hic numerus. Referebat ipſe potuiſſe ſe, cùm procuraret in Hiſpaniâ, uendere hoc cõmetarios LartioLycinio quadringẽtis millibus numûm, & tunc aliquantò pauciores erant. Nonnè videtur tibi recordanti quantũ legerit, quantũ ſcripſerit, nec officijs vllis, nec in amicitia principũ fuiſſe? rurſus cùm audis, quid officiorũ ſtudijs laboris ĩpenderit, nec ſcripſiſſe ſatis, nec legiſſe? Quid eſt enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc inſtantia non poſſit efficere? Itaq; ſoleo ridere, cùm me quidam ſtudioſum uocant, qui ſi comparer illi, ſum deſidioſiſſimus. Ego autem tantùm, quem partim publica, partim amicorum officia diſtringunt. Quis ex iſtis, qui totâ uitâ literis adſident, collatus illi, nõ quaſi ſomno & inertia deditus erubeſcat? Extendi epiſtolam, cùm hoc ſolum, quod requirebas, ſcribere deſtinaſſem, quos libros reliquiſſet. Confido tamen hæc quoq; tibi non minùs grata, quàm ipſos libros futura, quæ te non tantùm ad legendos eos, verùm etiàm ad ſimile aliquid elabordanum poſſunt æmulationis ſtimulis excitare. Vale.

Hæc epiſtola v. eſt libri iij. eam verò quã ad Cornelium Tacitum de eius obitu ſcripſit xxvj. libri xi. ità:

C. PLINIVS CÆCILIVS SECVNDVS TACITO SVO S.

PEtis, vt tibi Auunculi mei exitum ſcribam, quò veriùs tradere poſteris poſſis. gratias ago. Nàm video, morti eius, ſi celebretur à te, immortalem gloriam eſſe propoſitam. Quàmuis enim pulcherrimarum clade terrarum, vt populi, vturbes memorabili caſu, quaſi ſemper victurus occiderit, quàmuis ipſe plurima opera, & manſura condiderit, multũ tamen perpetuitati eius ſcriptorum tuorũ æternitas addet.

Equi-

Digitized by Google

Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum eſt, aut facere ſcribẽda, aut ſcribere legẽda; beatiſſimos verò quibus vtrunq;. Horum in numero Auunculus meus & ſuis libris, & tuis erit. Quò libentiùs ſuſcipio, depoſco etiàm, quod iniungis. Erat Miſeni, claſſemquè imperio præſens regebat ix. Kal. ſept. horâ diei ferè vij. Mater mea indicat ei, apparere nubẽ inuſitatâ & magnitudine, & ſpecie. Vſus ille ſole, mox frigidâ, guſtauerat iacens, ſtudebatquè, poſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maxime miraculum illud conſpici poterat. Nubes incertũ procul intuentibus ex quo monte (Veſuuium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur, cuius ſimilitudinem, & formam non alia magis arbor, quàm pinus expreſſerit. Nàm longiſſimo velut trunco elata in altum, quibuſdam ramis diffundebatur, credo quia recenti ſpiritu euecta, deinde ſeneſcente eo deſtituta, aut etiàm pondere ſuo victa, in latitudinem vaneſcebat; candida interdùm, interdùm ſordida, & maculoſa, prout terram, cineremvè ſuſtulerat. Magnum, propiusquè noſcendum vt eruditiſſimo viro viſum. Iubet liburnicam aptari, mihi ſi venire vnà vellem, facit copiam, reſpondi ſtudere me malle, & forte ipſe, quod ſcriberem, dederat: egrediebatur domo, accipit codicillos; Rectinæ Naſci imminẽti periculo exterritæ: nàm villa eius ſubiacebat, nec vlla niſi nauibus fuga, vt ſe tanto diſcrimine eriperet, orabat. Vertit ille conſilium, & quod ſtudioſo animo inchoabat, obit maximo. deducit quadrimeis, aſcendit ipſe non Rectinæ modò, ſed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium: properat illuc, vnde alij fugiunt, rectumquè curſum, recta gubernacula in periculum tenet, adeò ſolutus metu, vt omneis illius mali motus, omneis figuras, vt deprehẽderat oculis, dictaret, enotaretq;. Iàm nauibus cinis incidebat, quò propiùs accederent calidior, & denſior, iàm pumices etiàm, nigriquè, & ambuſti, & fracti igne lapides. Iàm

vadum

Digitized by Google

vadum ſubitum, ruinaquè montis littora obſtantia, cunctatusquè paulum, an recto flecteret, mox gubernatori, vt ità faceret monenti, forteis, inquit, fortuna iuuat. Pomponianũ pete, Stabijs erat, diremptus ſinu medio. Nàm ſenſim circũactis, curuatisq́ litoribus mare infunditur. Ibi, quàmquã nondum periculo appropinquante, conſpicuo tamen, & cùm creſceret, proximo, ſarcinas contulerat in naueis certus fugæ, ſi contrarius vẽtus reſediſſet, quo tunc Auunculus meus ſecundiſſimo inuectus complectitur trepidãtem, conſolatur, hortatur, vtq; timorem eius, ſuâ ſecuritate leniret, deferri ſe in balineum iubet, lotus accubat, cœnat, atq; hilaris, aut quod eſt æque magnũ, ſimilis hilari. Interim è Veſuuio monte pluribus locis latiſſimæ flammæ, atq; incendia relucebãt, quorum fulgor, & claritas tenebris noctis excitabatur, ille agreſtium trepidatione ignis relictas, deſertasquè villas per ſolitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat, tùm ſe quieti dedit, & quieuit veriſſimo equidem ſomno. Nàm meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis grauior, & ſonantior erat, ab ijs, qui limini obſeruabãtur, audiebatur. ſed area, ex quâ diætâ adibatur, ità iàm cinere, miſſisq́ pumicibus oppleta ſurrexerat, vt ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur, excitatus, procedit, ſeq; Pomponiano, cæterisquè, qui peruigilarãnt, reddit. In commune conſultant. an intra tecta ſubſiſtãt? an in aperto vagentur? Nàm crebris, vaſtisquè tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub diuo rurſus, quàmquàm leuium, exeſorũq́ punicum caſus metuebatur. quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit, ceruicalia capitibus impoſita linteis conſtringunt. Id munimentum aduerſus decidentia fuit, iàm dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, denſiorq́, quàm tamen faces multæ, variaquè lumina ſoluebant. pla-

euit egredi in litus, & è proximo aſpicere, ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vaſtum, & aduerſum permanebat. Ibi ſuper abiectum linteum recubans ſemel, atq; iterum frigidam popoſcit, hauſitquè, deinde flammæ, flammarumquè prænuntius odor ſulphuris, alios in fugam vertunt, excitãt illum, innixus ſeruis duobus adſurrexit, & ſtatim concidit, vt ego coniecto, craſſiore caligine, ſpiritu obſtructo, clauſoq; ſtomacho, qui illi natura inualidus, & anguſtus, & frequenter interæſtuans erat. Vbi dies reditus is, ab eo, quem nouiſſime viderat, tertius, corpus inuentum eſt integrum, illæſum, opertumq; vt fuerat indutus: habitus corporis quieſcenti, quàm defuncto ſimilior. Interim Miſeni ego, & mater. ſed nihil ad hiſtoriam: nec tu aliud, quàm de exitu eius ſcire voluiſti. finem ergo faciam. vnum adijciam, omnia me quibus interfueram, quęquè ſtatim, cùm maximè verâ memorantur, audiueram, perſecutum. Tu potiſſima excerpes: aliud eſt enim epiſtolam, aliud hiſtoriam, aliud amico, aliud omnibus ſcribere. Vale.

Ex his porrò duabus epiſtolis tota Plinij vita apertè intelligi poteſt. Obijt verò iij. Nonas Nouembr. anno ſalutis xxci. ſecundo principatus Titi Veſpaſiani Imper. eodem Auguſto viij. & Domitiano Cæſare fratre vij. conſulibus, cum natus eſſet ſe. . Cornelio . . . . . L. Vitellio Varrone Coſ. principatus Ti. Cæſ. anno xj.

C.PL.

Digitized by Google

C. PLIN. CAECILIVS SECVNDVS.

HIc C. CÆCILIO Nouocomenſi, & Pliniâ ſorore C. Secundi natus, cùm ab Auunculo adoptatus eſſet C. PLINIVS CAECILIVS Secundus vocatus eſt, quemadmodũ eo tẽpore conſuetudinem fuiſſe, libro de antiquis Romanorum nominibus demonſtraui. Qui naturâ quidem Nouocomenſis ciuis fuit, cùm & ipſe Nouocomum patriam ſuam ſæpè in epiſtolis ſuis ſcribat, verùm lege, & adoptionis iure Veronenſis & ipſe, vt eius adoptiuus pater C. Plinius Secundus, fuit. Quam rem innuens in epiſtolâ ad Falconem ipſe Catullum Veronẽſem inter veteres Poetas recenſendum ſuum tantùm quodam patriæ amore obſtrictus, vocat; & in libro vj. epiſt. vltimâ ad Maximũ ita ſcribit: *Rectè feciſti, quòd gladiatorum munus Veronenſibus noſtris promiſiſti, à quibus olim amaris, ſuſpiceris, ornaris, &c.* Hinc etiàm multi res ipſas minus accuratè penſitantes, decepti ſunt, vt quod erat iunioris Plinij ſeniori attribuerent, Pliniumq; Seniorem è Veronenſe Nouocomenſem fecerint; cæterum Plinius iunior ab Auunculo adoptatus, & ab eo etiàm liberaliter educatus eſt, atq; in omni diſciplinarũ genere eruditus, eiusq; veſtigia imitatus, clariſſimus ſuorum temporum orator exiſtimatus eſt: cauſas enim acriter, & ardenter, nec minùs ornatè, & politè dixit: cui ex quatuor dicendi generibus Macrobius floridum deſtinauit. Scripſit ad æquales, & contubernales ſuos epiſtolas, quæ paſſim leguntur, quibus inſunt aptæ ſententiæ, grauis, & decora conſtructio, propoſita verba, & antiqua, quorum ſermo eſt copioſus, & varius, & dulcis; atq; in primis qui ad legendum alliciat. Fertur, & breue Virorum Illuſtrium

Digitized by Google

opuſculum conſcripſiſſe. In quo breui ſermone ingentia Ducum geſta comprehendit. Magnæ quoq; in republicâ Romanâ dignationis fuit, vt ſub Traiano Principe per omnium honorum gradus, vſq; ad Conſulatum euectus ſit, moxque Bythyniæ Proconſulatum, quem integrè, & ſanctè adminiſtrauit. In quo præclaram illam de Chriſtianis ad Imper. Traianum ſcripſit epiſtolam, quæ libro x. epiſtolarum ſuarum c III. totidem enim ſcriptus eſt: cuius etiàm ſubindè Tertulianus in Apologetico, & Euſebius meminerunt: Porró autem quos, aut quales honores geſſerit, ex duabus vetuſtis inſcriptionibus de eius nomine factis intelligi poteſt, quarum alteram Mediolani, alterā verò Comi adhuc extare dicūtur.

Mediolani.

C. PLINIVS. C. F. OVF. CAECILIVS. SECVNDVS. COS. AVGVR. LEGATVS. PROPRAET. PROVINCIÆ. PONTI. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB. IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO. AVGVSTO. GERMANICO. MISSVS. CVRATOR. ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. PRAEF. AERARI. SATVRNI. PRAEF. AERARI. MILIT. QVESTOR. IMP. SE. VIR. EQVITVM. ROM. TRIB. MIL. LEG. VI. GALLIC. X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS.

Nouocomi.

C. PLINIO. C. F.
OVF. CAECILIO.
SECVNDO. COS.
AVG. CVR. ALVEI.
ET. RIPAR. TIBERIS.

THEO-

THEOLOGI.

S. ZENO, *Veronenſis Epiſcopus.*

VETVSTISSIMIS, & à Chriſtianæ pietatis cognitione alienis Veronenſibus viris Illuſtribus, quorum ad nos perennis memoria manauit, expeditis; nunc illos ſingillatim referam, qui tùm litteris, tùm bellica virtute, tùm cæteris artibus in Vrbe noſtrâ claruerunt, poſtquàm Diuinâ Chriſtianæ veritatis gratiâ Vrbi noſtræ illuxit; quos per claſſes ex ſingulorum profeſſione diſtinguam, atque in primis Theologos, deinde Philoſophos, poſt Iure conſultos, mox Medicos, poſt eos Aſtrologos, Mathematicos, Hiſtoricos, Poëtas, & variâ, multiplicique eruditione præditos viros. Ad hæc homines Bello Illuſtres, poſtremò reliquis in artibus excellentes accuratè enumerabo; ne quis non in vnâ arte, & ſcientiâ tantùm noſtros Veronenſes viguiſſe latè exiſtimaret. Atq; à Theologis initium faciam, quorum omnium princeps, & anteſignanus ſit Beatiſſimus noſtræ Vrbis Pontifex, Tutelariſq; Diuus ZENO, quem in omnibus actionibus, poſt Dei Omnip., Virginiſq; Matris appellatum auxilium, ſummâ veneratione præfamur: qui quàmquàm ab aliquibus Græcus fuiſſe credatur; multorum tamen opinione Veronenſis fuiſſe refertur. Hic cùm pietate, fide, & religione clariſſimus, tùm multiplici doctrinâ illuſtriſſimus habitus eſt. Multa enim ſcripſit Chriſtiano Antiſtite digna, quorum hæc ad noſtram peruenêre notitiam.

Digitized by Google

De Patientiâ, Pudicitiâ, Fide, Spe, & Charitate Lib. III.
De Iuſtitiâ Librum I.
De Timore Librum I.
De Spiritu, & Corpore Librum I.
De eo, quòd ſcriptum eſt, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri Sermonem I.
De ædificatione Domus Dei.
De Continentiâ.
De Baptiſmo Libros III.
De Natiuitate Domini, & Maieſtate.
De Daniele Tractatus II.
In Pſalmos XII. & XLII. CXXVI. & tres ſeq. Tract. VII.
De Liuore, & Inuidiâ.
De hoc verbo: Attende tibi, nè fortè fiat.
De Quatuor Temporum Ieiunio.
In Pſalmum XC.
De Auaritiâ Tractatus III.
De Feſto Paſchatis.
De Inuitatione ad Fontes.
De Somno Iacobi.
De XII. Cęli Signis.
De Fide ſuper Ionam.
Super Hiſtoriam Suſannæ.
De Die Dominico.
De Abrahamo.
De Natiuitate Domini.
De Paſſione Arcadij Mart. in Mauritaniâ, eo tempore occiſi.
Vixit B. Zeno Pontifex Gallieni Imp. temporibus circa Annum Domini C C LX.

PACI-

Digitized by Google

PACIFICVS VERONENSIS *Eccleſiæ Archidiaconus.*

SVMMVS Theologus, ſummusq; multarum aliarum diſciplinarum cultor fuit PACIFICVS Veronenſis, vir magnæ pietatis, atque animi, noſtræq; Eccleſiæ Archidiaconus; qui Veronæ temporibus Caroli Magni, & Ludouici Pij Imperatorum floruit, circa annos Chriſti D C C C XX. Hic horologium nocturnum primus inuenit, & ſupra C C C. volumina ſcripſit. Bibliothecam totius orbis terrarum, meo iuditio, celeberrimam condidit, cuius veſtigia adhuc Veronæ in Monaſterio Canonicorum Veronenſium extat, ducentis penè litteris maiuſculis ſcriptis in membranis libris ornatam. Huius acumen ingenij, resquè præclarè geſtæ ex eius antiquo Epitaphio, quod marmoreo lapidi inciſum adhuc in Cathedrali Aquilonem verſus cernitur, intelligi poſſunt; quod legentibus delectationem ob inſignis, atque optimè de Eccleſiâ noſtrâ meriti viri memoriam, affert; ità enim eſt.

Digitized by Google

ARCHIDIACONVS. QVIESCIT. HIC. VERONÆ.PACIFICVS.
SAPIENTIA . PRAECLARVS . ET . FORMA. PRAEFVLGIDA .
NVLLVS.TALIS.EST.INVENTVS.NOSTRIS IN.TEMPORIBVS
QVOD. NEC. VLLVM. ADINVENIRI. VNQVAM. TALEM.CREDIMVS.
ECCLESIARVM . FVNDATOR . RENOVATOR . OPTIMVS.
ZENONIS. PROCVLI . VITI. PETRI. ET. LAVRENTII.
DEIQVE.GENITRICIS. NEC. NON. ET. GEORGII.
QVICQVID. AVRO. VEL. ARGENTO. ET. METALLIS. CETERIS.
QVICQVID. LIGNIS. EX. DIVERSIS. ET. MARMORE. CANDIDO.
NVLLVS. VNQVAM. SIC. PERITVS. IN. TANTIS. OPERIBVS.
BIS, CENTENOS. TERQVE. SENOS . CODICESQVE . FECERAT:
HOROLOGIVM. NOCTVRNVM. NVLLVS.ANTE.VIDERAT.
EN. IVNENIT. ARGVMENTVM . ET. PRIMVS . FVNDAVERAT.
GLOSSAM . VETERIS . ET . NOVI. TESTAMENTI . POSVIT .
HOROLOGIOQ; . CARMEN . SPHAERÆ. CÆLI. OPTIMVM.
PLVRA . ALIA . GRAPHIAQVE. PRVDENS. INVENERAT.
TER. ET. DECEM . VIXIT. LVSTRA . TRINOS . ANNOS. AMPLIVS.
QVADRAGINTA. ET. TRES . ANNOS. FVIT. ARCHIDIACONVS.
SEPTIMO. AETATIS. ANNO. CAESARIS. HLOTHARII.
MOLE. CARNIS.EST.SOLVTVS.PERREXIT.AD.DOMINVM.
NONO . SANE . CALENDARVM . OBIIT. DECEMBRIVM.
NOCTE. SANCTA. QVÆ. VOCATVR. A. NOBIS.DOMINICA.
LVGENT. QVOQVE. SACERDOTES.ET.MINISTRI.OPTIMI.
EIVS. MORTE . NEMPE. DOLET. INFINITVS . POPVLVS.
VESTROS. PEDES. QVASI. TENENS. SVOSQVE. PRECOR. CERNVVS.
O. LECTORES. EXORATE. QVAESO. PRO. PACIFICO.

S. PETRVS

Digitized by Google

S. PETRVS MARTYR
Ord. Prædicatorum.

VERONÆ quoque ortus eſt S. PETRVS Martyr Ordinis Prædicatorum, vir vt doctiſſimus, ità ſanctiſſimus; qui cùm ab Innocentio IIII. Pont. Max. circa annum Chriſti M C C X L. Hęreticæ prauitatis Inquiſitor in vniuerſâ Lombardiâ creatus eſſet, munusq; ſibi ab Apoſtolicâ Sede contra impios homines egregiè, & ſanctiſſimè exerceret; ab ijs pro Catholicâ Veritate tuendâ, dùm è Mediolano Nouocomum proficiſcitur, per inſidias in itinere ſæuiſſimè interfectus eſt; & non longè poſt ab eodem Pont. Innocentio IIII. inter Sanctorum Chriſti Martyrum numerum pientiſſimè eſt relatus. Huius ſacrum cadauer Mediolani ad Prædicatorum Baſilicam magnâ cum totius populi veneratione quieſcit.

PETRVS SCALIGER EPISCOPVS
Veronenſis Ord. Prædicatorum.

NOBILISSIMA, & tunc Vrbis principatum obtinente Scaligerâ gente ortus eſt PETRVS, qui ex Ordine Prędicatorum, in quo diù ſanctiſſimè vixerat, ad Epiſcopatum Veronenſem totius Cleri conſenſu vocatus eſt. Hic, cùm eſſet vir doctiſſimus, multa ingenij ſui monumenta reliquit, in quibus hæc præcipua fuiſſe, animaduerti.

Sermonum ad populum liber I.
Commentaria in Euang. S. Matthei.

Hic

LVDOVICVS CAMPANEA
Ordinis Prædicatorum.

VERONÆ quoque ſummo loco natus eſt LVDOVICVS Campanea Ordinis Prædicatorum Theologus, Philoſophus, & declamator diſertiſſimus; cuius adhuc ad prædicatores aliquot ingenij ſui monumenta extant.

HIERONYMVS PLVMATIVS
Fr. Eremita Auguſtinianus.

HIC ſuâ ætate Diuini Verbi præco excellentiſſimus fuit. Vixit autem totâ Italiâ celebratus triginta annis antè. Qui populis eo maximè nomine acceptiſſimus fuit, quòd præter præcipuum ſtudium, ac curam tradendæ publicè doctrinæ Chriſtianæ, miſericordiſſimus in ægenos, inopesq; homines erat; quos mirâ benignitate eleemoſynis magnis, ſuis concionibus conquiſitis, ſubleuauit, Montes, vt vocãt, collegia, & ſodalitia multa inſtituenda ſingulis Italiæ Ciuitatibus, in quibus Eccleſiaſtem ageret, ſanctiſſimè curauit; queis Virgines pauperes nuptui traderentur, exilis, vilisq; plebecula paſceretur, indigentes ſine fœnore mutuam pecuniam accipere poſſent. Is autem poſt per multos acceptos, exauſtosq; pro Eccleſiâ labores Venetijs in pace quieuit. Cuius concionum liber adhuc extare dicitur.

VIN-

VINCENTIVS CICONIA.

SACERDOS Veronenſis, Oratorijq; Diui Zenonis Præpoſitus; vir pius, & eruditus, Sermones aliquot de Sacratiſsimâ Euchariſtiâ vulgauit, pietatem inſignem, & non vulgarem doctrinam redolentes. Adornat alia.

PHILOSOPHI.

POST eos Theologos Veronenſes, qui aliquid litterarum monumentis tradidere (inſignitos enim, & doctiſſimos omiſi; cùm mihi propoſitum ſit, eos tantùm in omni doctrinarum genere enumerare celebres viros, quorum memoria inſcriptis extet) Nunc Philoſophorum Veronenſium ſeriem adijciam; quos tantos, ac tales Vrbs noſtra tulit, vt ex vno Orbe, non Vrbe prodijſſe videantur. Hi & in inueniendis, indicandiſq; mortalibus naturæ arcanis, & in Ariſtotelis, Platoniſq; voluminibus explicandis, maximo generi humano vſui fuère. Quorum longè, lateq; per omnem terrarum orbem ſe diffundens fama Vrbem noſtram, præ cæteris omnibus fermè Italiæ, ſummoperè illuſtrauit: Quibus enumerandis ab eo potiſſimum initium ſumam, cui ſine heſitatione vllâ reliqui omnes primas partes proculdubio reliquiſſent, ſi aliquando de primatu inter eos eſſet controuerſum.

HIE-

Digitized by Google

HIERONYMVS FRACASTORIVS, PAVLLI PHILIPPI FIL.

BONARVM artium, & omnis doctrinæ, Vrbisq; noſtræ ſplendidiſsimum lumen noſtro ſæculo fuit HIERONYMVS FRACASTORIVS, nobiliſsimus Ciuis, Philoſophus, Medicus, & Poëta omnium, qui poſt Cæſaris Auguſti tempora vnquam toto terrarum orbe omnium conſenſu fuerit, proculdubio maximus. Hic multâ elegantiſsimè, accuratiſsimèq; conſcripſit; in quibus Principem locum *Syphilis*, idest libri tres, quos de morbo Gallico heroicis verſibus ad Petrũ Bembum diuinè edidit, tenent; quibus nihil diuinius, elaboratius nè à Virgilio quidem ipſo fieri potuiſſe, exiſtimo. Edidit præterea Comędiam, cui titulus, *Ioſeph.*

Homocentrica, & de cauſis criticorum dierum, per ea, quæ in nobis ſunt.

De Sympathia, & Antipathia Lib. I.

De Contagione, & contagioſis morbis, eorũq; curat. lib. iij.

Aleon, ſiue, de curâ canum Venaticorum Carmine.

Obijt eximius vir ſuperioribus annis Veronæ, repentino morbo, non ſine maximâ litterarũ iacturâ, oppreſſus; Cui ex S.C. ſtatua in foro, cũ reliquis illuſtribus Veronenſibus erecta eſt, eius imagine ad viuum expreſsâ, cum hoc, quod ego edidi, Elogio.

HIER. FRACASTORIO
PAVLLI. PHILIPPI. F.
EX. PVBLICA. AVCTORITATE
ANNO M D LIX.

BAR-

Digitized by Google

BARTHOLOMÆVS LOMBARDVS.

BARTHOLOMÆVS LOMBARDVS Veronenſis dignus admodũ eſt, qui Philoſophorum Veronenſium albo à nobis adſcribatur. Hic enim Ariſtotelicæ diſciplinæ peritiſsimus, cum Vincentio Madio Brixiano, Philoſopho eximio, cõmunes explanationes ſcripſit in librum Ariſtotelis de Arte Poëticâ, quas Madius ipſe poſt obitum Lombardi cum ſuis annotationibus edidit, appoſitâ Lombardi præfatione in Ariſtotelis poëticam, quam ad inflammantes in Academiâ Patauinâ habuit.

BERNARDINVS DONATVS.

BERNARDINVS DONATVS Veronenſis, Philoſophus egregius, ſcripſit opuſculum de Platonicæ philoſophiæ diferentiâ. Vbi Georgij Gemiſti, Super eadem libellum in Dialogum redegit, & quædam de ſuo adiecit; Ariſtotelis etiã Oeconomicorum libros duos latinè apertiùs, elegantiúſq; reddidit, quàm reliqui hactenus interpretes. Idem ex Galeno tranſtulit librum de cognoſcendis, curandiſq; animi morbis.

IOAN.

IO. FRANCISCVS BVRANA.

Optimus Ariſtotelis interpres ab eruditis Peripateticæ diſciplinæ exiſtimatus eſt IOANNES FRANCISCVS BVRANA Veronenſis. Hic enim priora reſolutoria Ariſtotelis latino ſermone donauit, & egregijs cõmentarijs illuſtrauit. Idem etiàm Auerrois mediam expoſitionem in libros priorum reſolutiuorum Ariſtotelis. Item eiuſdem magnâ commentaria, ſiue expoſitionem maximam; & poſtremò eiuſdem expoſitionem mediam in poſteriorum reſolutiuorum libros vir doctus latinitate donauit.

LEONARDVS COMES NOGAROLA.

Nobiliſsimo, & Vetuſtiſsimo inter Veronenſes ſtemmate, atque Imperialis Comitatus titulo antiquitus donato, ortus eſt LEONARDVS NOGAROLA, Apoſtolicus Protonotarius, Philoſophus, & Theologus egregius, itemq; Orator præſtantiſsimus; qui inter cętera eius ingenij opera nobis reliquit librum de Æternitate Mundi. Item de Sacroſanctis Miſſæ myſterijs cõmentarium vtiliſſimum. Hic dum vixit, maximo vſui Reip. Chriſtianæ Principibus fuit, & præſertim Clementi Papæ VII. & ante Maximiano Cæſari, multis, & varijs legationibus ad diuer-

Digitized by Google

diuerſos Principes egregiè functus. Qui præter excellentem in omni genere doctrinam, linguarum quoq; Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, Hungaricæ, Turciſcæ, & Sclauonicæ peritiſsimus erat; ità vt nullus ſermo, quē linguam vocāt, eſſe crederetur, quē non optimè calleret; tanta erat eius ingenij excellentia. Obijt Vir magnus, Veronæ non ſolùm, ſed Italiæ decus, aliquot annis ante Tergeſte, cui Præfectus erat. Fuit autem Cæſaris Conſiliarius, Comes, Eques S. Iacobi, & Belfortis Dominus. Obijt Romæ, & in Eccleſiâ Sancti Clementis ſepultus eſt.

LVDOVICVS COMES NOGAROLA.

HVivs gentilis LVDOVICVS, Vir in omni diſciplinarum genere, & præſertim Theologiæ Philoſophiæ peritus, Dialogū De Nili incremento, quem cum Hieronymo Fracaſtorio habuit, edidit. Idem Platonicas quæſtiones ex Plutarcho tranſtulit, Scholijsque illuſtrauit.

ALEXANDER NOGAROLA.

INTER Philoſophos morales enumerari poteſt, cùm librum adornet humanę vitę vtiliſſimum; quemadmodùm ego, cùm Veronæ eſſem, cognoui.

HIE-

HIERONYMVS BAGOLINVS.

HIERONYMVS BAGOLINVS Veronenſis, Philoſophus pręſtantiſſimus, multa & ipſe ingenij ſui monumenta reliquit. Scripſit enim Annotationes in Auerrois compendium ſuper priora reſolutoria Ariſtotelis. Io. Grammatici Philopponi commentaria in Ariſtotelis libros de Generatione, & Corruptione interpretatus eſt. Item Alexandri Aphrodiſęi quæſtiones naturales, morales, & de fato; Idem annotationes, & dubitationes in primum reſolutiuorum Ariſt. edidit.

IO. BAPTISTA GABIA.

AMiciſſimus mihi eſt IOANNES BAPT. GABIA Veronenſis; cum quo diù Romę ſuauiſſimè vixi: cuius mores, humanitatem, & doctrinam ſingularem perſpectiſſima habeo. Hic cùm trium linguarum peritiſſimus ſit, multa è Græco, & Hebręo in Latinum ſermonem vertit; in his ſeptem Tragędias Sophoclis ad verbum latinas fecit, ſcholijſq; illuſtrauit. Zoſimi hiſtoriarum libros Græcos Italico ſermone, me petente, donauit. Hymnos Dauidis multos ex Hebraicâ veritate latinos elegantiſſimè, Flaminij more, reddidit. Hic, præter linguarum peritiam, Theologiæ, Philoſophiæ, Mathematicarum, & Aſtrologicæ peritiſſimus eſt; multaquè in omni diſciplinarum genere adornat, non modicum ſibi, & patriæ noſtræ ſplendoris, cæteris verò mortalibus vtilitatis allatura. Viuit

Digitized by Google

nunc Romæ, & in Academiâ Romanâ publicè litteras Græcas profitetur.

MATTHÆOLVS.

MATTHÆOLVS quidam Philoſophus Ciuis noſter, cuius particularis notitia adhuc ad me minimè peruenerat, Memoratiuam artem ſcripſiſſe, traditur. De quo nihil præterea compertum habeo.

MEDICI.

VRBEM Veronam præſtantiſſimorum Medicorum Collegium mirum in modum exornat; in quo licet, ſemperquè licuit multos Æſculapios, atque Machaonas admirari, qui omnium artiũ, & Philoſophiæ eruditione præſtantes, non modò languentia ægrotantium corpora ſaluti reſtituunt; verùm anhelosâ ſuſpiratione, & gemebundo ſingultu laborantes homines ad vitam reuocant, fugientesq; ab ore animas in pectora redire cogunt. Nec tantùm hac ſalubri doctrinâ patriæ, & ſuis prodeſſe contenti, ſed vniuerſæ penè Italiæ, & exterarum nationum Gymnaſia, Academiasq; tùm legendo, tùm ſcribendo, tùm ſanando compleuerunt; quorum ex ijs, qui ſcripſerunt.

BER-

BERNARDVS ALBERTI F. A CAMPANEA

TRITAVVS meus maternus longè omnium ſui temporis præſtantiſſimus fuit. De quo, cùm gentilis ſit, ne in eo laudando videar cognationi non nihil indulſiſſe, ea tantùm dicam, quæ Blondus Flauius Forolliuienſis centum annis antea, in Italiâ illuſtratâ tradidit. Sic enim, vbi de Vrbe noſtrâ loquitur, de hoc viro ſcribit: *BERNARDVS, honeſto genitus Campaneæ gentis loco, non parum Veronæ attulit ornamentum, qui Medicus, & Philoſophus inſignis, tantâ viguit memoriâ, vt, Themiſtoclis inſtar, nihil illi exciderit, quod aut diſcere, aut ei attentiùs, legere contigiſſet. Scripſit autem de re medicâ Commentarios. Principibus Scaligeris, quorum ſanitatem tuebatur, gratiſſimus fuit; atque ab ijs ad ſummos honores, & amplas opes euectus eſt.* Vixit autem circa annum Chriſti M CCC. Auus hic fuit Patris Matris meæ. Obijt Mantuæ, quò ſe contulerat; vt illius vrbis Principi ægroto manus medicas admoueret, ibiq; ſepultus.

IACOBVS LAVAGNOLVS, ET AVANTIVS MEDICI.

AVANTIVM, & IACOBVM LAVAGNOLVM, nobiliſſimos ſuo ſęculo Medicos, his verbis in Italiâ illuſtratâ commemorat Blondus Flauius Foroliuienſis, vbi de Veronâ loquitur: *Medicos genuit*

Verona ſui ſæculi præſtantiſſimos AVANTIVM, *&* IACOBVM LAVAGNOLVM, *cuius nomenr eſert, & cognomen Iacobus Lauagnolus, Equeſtris Ordinis, vir, humanitatis ſtudijs, & eloquentiâ exornatus*. Ità Blondus. Poſt hos Hieronymum Fracaſtorium in Medicorum numero tàmquàm omnium Principem collocaſſem; niſi id me moueret, quod quãquàm medicinæ conſultiſſimus eſſet, philoſophiæ ſtudijs, & ſpeculatione contentus, omni praxi, dùm vixit, abſtinuit.

IO. BAPT. MONTANVS.

INTER noſtræ Ciuitatis igitur Medicos omnium confeſſione primus locus datur. IO. BAPTISTÆ MONTANO, DEI dono mortalibus conceſſo; qui accuratiſſimè, doctiſſimèq; multa in arte medicâ edidit, & è Græco latina fecit. Inter complura autem, quæ ſcripſit, hæc præcipuè memorantur.

Metaphraſis ſummaria eorum, qua ad medicamentorum doctrinam attinent.
Libellus de gradibus, & facultatibus medicamentorum.
Expoſitio in nonum lib. Raſis ad Manſorem Regem Arabũ.
Lectiones in Aphoriſmos Hyppocratis.
Tabula de cauſſis fluoris alui, & ſiccitatis.
Tabula de alimentorum differentijs.
Libri duo, alter de fæcibus, vel excrementis alui.
Alter de vrinis.
Quæſtio, quomodo medicamentum æquale, vel inæquale dicatur, videl. calidum, frigidum, humidum, aut ſiccũ.
Conciliorum medicinalium Centuriæ tres.

Obijt paucis annis antè Patauij, vbi publicè medicinã ſummâ cum admiratione profitebatur.

AN-

ANTONIVS FVMANELLVS.

NVLLA ætas ingenijs producendis tùm Veronæ, tùm alibi feracior, quàm hæc noſtra fuit; quâ cùm in omni diſciplinarum genere, tùm in medicinâ excellentes multi homines viguêre, inter quos neq; in poſtremis eſt ANTONIVS FVMANELLVS Veronenſis Medicus, qui multa in arte, quàm profitebatur, compoſuit: inter quæ hæc circùmferuntur:

Omnium febrium dignoſcendarum, & curandarum abſoluta methodus.
Conſilium Chirugicum de caluariæ fracturâ, pectoris, atque pulmonis vulnere, ac inflammatione.
Hiſtoria, & curandi ratio pro vrinæ reddendæ difficultate, & anguſtiâ.
An mineralis aqua vrinæ conueniat difficultati.

in quibus omnibus totius artis medicinæ vniuerſalis ad particularium exercitationem deducuntur.

De Balnei ferrati facultatibus, ferriq; naturâ.
De Balneis aquæ ſimplicis.
Itē de Balneorum aquæ ferratæ facultate; & præſertim Calderianæ ab auctore recognitus, quibuſdam adiectis.
De compoſitione medicamentorum generis cuiusque ad morbos diuerſos liber.
De Peſtis curatione.

DOMINICVS MONTESAVRVS.

HVIVS præſtantiſſimi Medici, cùm Veronæ triennio antè de longâ, & diurnâ viâ feſſus grauiter ægrotarem, ope, & arte amiſſam recepi ſanitatem. Ipſe multa in medicâ facultate ſcripſit, multa etiàm adornat. Hactenus Ariſtotelis commentarium de admirandis auditoribus in latinam linguam tranſtulit. Idem Galeni commentariolum de comate ſecundum Hyppocratis ſententiam ex Græco exemplari, & antiquâ verſione reſtituit.

ALEARDVS DE PINDEMONTIBVS.

HIc nobili genere Veronæ ortus, ſeptuaginta annis ante in Vrbe noſtrâ floruit. Scripſit libellum ad Hermolaum Barbarum, Epiſcopum Veronenſem:

De Fontibus, ſeu Balneo Calderij Veronenſis agri.

Item alium libellum:

De virtute Balneorum Calderianorum. De modo bibendi aquam. De dietâ, abſtinentiâ ſumentium balnea. De ſomno meridiano. De modo ſuccurrendi accidentibus ſuperuenientibus.

Impreſſi ſunt ambo libelli Venetijs à Iuntis, cum variorum auctorum ſcriptis de Balneis.

ALE-

ALEXANDER BENEDICTVS.

ALEXANDER BENEDICTVS, Medicus Veronenſis, ſcripſit de Morbis medicandis à capite ad calcem libros xxx. Aphoriſmorum lib. I.

De peſte, eius cauſis, & materiâ, auxiliorum librum I.

Anatomicæ libros V.

Diaria de bello Carolino.

ALOYSIVS MVNDELLA.

ALOYSIVS MVNDELLA Veronenſis, & ipſe Phyſicus præſtantiſſimus, ſcripſit Epiſtolas medicinales xxiiij. variarum quæſtionum, & locorum ſuper Galeni difficilium expoſitionem, continens Annotationes in examen ſimplicium ab Antonio Muſâ Braſauola. In omnes Galeni libros indicem, epitomes inſtar egregium, & vtiliſſimum conſcriptum.

FRANCISCVS PEDEMONTANVS.

FRANCISCVS PEDEMONTANVS Veronenſis Medicus, ſcripſit quædam de Balneis, vt eius Gentilis Aleardus. Item additiones in Meſuem.

Digitized by Google

GABRIEL ZERBVS.

GABRIEL ZERBVS Veronenſis, & ipſe Medicus, Scripſit Anatomen corporis humani, Anatomen infantis, commentar. egregia in Metaphyſicam Ariſt. cautelas Medicorum. Item Gerontocomium: omnia excuſſa.

IOANNES BAPTISTA CONFALONERIVS.

IOANNES BAP. CONFALONERIVS Veronenſis ſcripſit de vini naturâ, eiusq; alendi, ac medendi facultate. Item de Mundi efficientiâ, & æternitate, ſecundum philoſophos, ad Reginaldum Polum Britannum.

IOANNES ARCVLARIVS.

IOANNES ARCVLARIVS Veronenſis Medicus, ſcripſit expoſitionem IX. libri Rahazæ ad Almanſorem, paucis exceptis capitulis; ab eo, morte præueniente, non explanatis. Item Commentarium ſuper quartam Fen. Auicennæ. Vixit ante annos, plus minùs, centum.

IVRE-

Digitized by Google

IVRECONSVLTI.

DVO, præter cætera, noſtro in foro ſunt digniſſima Collegia. Alterum peritiſſimorum vtriusq; Iuris Conſultorum, quod feracis matris redolens bonitatẽ, pereminentiſſimis virorũ ingenijs antiquorum etiàm memoriâ refloruit. Horum iàm cùm eximiam fœcundæ prolis indolem agnoſceret BENEDICTVS XII. Pont. Max. in ampliſſimam doctrinæ familiam peruenturam, publicam omnium artium Academiam conſtituit; omnibusq; inſignibus auctorandi cõſultos Theologiæ, ac Philoſophię Magiſtros largo Pontif. largitate munere condonauit. Alterum verò ſcribarum publicorum (quos Notarios vocant) ad dictata, & paginata, ad Teſtamenta peritiſſimè calentium eſt; in quo nulli datur acceſſus, quàmquàm Imperiali auctoritate polleat, niſi tàmquàm aurum igne probatum, à tanti Collegij prudentibus, & doctiſſimis Examinatoribus ſummâ tùm bonarum litterarum, tùm tabellionatus, tùm morum cenſurâ, ad tanti officij munus ſubeundum idoneus repertus fuerit, & omnium tulerit punctum. Ex quo illud efficitur, vt integerrimi, & probatiſſimi ex nobiliſſimis familijs, nõ quæſtus gratiâ, ſed huius honoris ambitione digniſſimo cætu adſiſci enixiſſimè elaborent; ità vt noſtrâ tempeſtate ſupra ſexcentos omni laude probatos viros in eo conuentu facillimè inuenias. Porrò autem tàm Iure Conſultorum, quàm Notariorum multi, quos hic nominare ex inſtituto non pigebit, doctrinæ ſuæ poſteris varia monumenta reliquerunt; quibus Vrbs

no-

noſtra ornatur. Mortaleſs verò ad vitam honeſtè,atq; cum virtute tranſigendam adiuuantur.

DOMINICVS PANVINIVS.

HORVM, quòd ſi vetuſtiſſimus, eſt DOMINICVS PANVINIVS Abauus meus, qui centum,& ſeptuaginta annis antea Veronæ non ſine ſummâ doctrinæ, & probitatis opinione, vixit. Hic cùm eſſet omnium ſui temporis Iureconſultiſſimus, Arbiter in arduâ, atque difficili causâ, cum duobus alijs Iureperitis ſuſceptus eſt inter Ducem Mediolan. tùnc Veronæ imperium obtinentem, & Principes Carrarienſem, atque Mantuanum diſcutiendâ. In quâ ità ſe egregiè geſſit, vt ſummâ cum partium ſatisfactione eius placita ſuſcepta ſint, atq; executioni mandata. Scripſit conſilia, quæ Torellus Sarayna I.V.D. ſe vidiſſe, profeſſus eſt.

JOANNES MAIVS PATER, ET MADIVS FILIVS.

HORVM Blondus, vbi Veronam deſcribit, ità mentionem facit; *Genuit Verona IOANNEM MAIVM Iureconſultum, non incelebrem: Iſq; filium MADIVM tulit nobis adoleſcentibus familiaritate coniunctum, iuri diſſerendo, deffendendoq; additum, qui legum peritiæ eloquentiam coniunxerat; ità vt ſcriberet ornatè, pronuntiaret ſuauiter, & in cunctis ſeſe*

(quan-

Digitized by Google

(quantùm noſtræ ætatis natura patitur, exigitq́ conſuetudo) bonum oſtenderet Oratorem.

CHRISTOPHORVS LAFRANCHINVS.

PIentiſſimus,& vtriusq; Iuris conſultiſſimus ſuo ſæculo fuit CHRISTOPHORVS LAFRANCHINVS, nobilis Mediolanenſis. Cuius vulgò liber circunfertur, cui titulus eſt, *De præcellentiâ Doctoris, & Militis*. Hic cum eſſet amplis opibus honeſtatus, multa in pios vſus erogauit.

BARTHOLOMÆVS CÆPOLLA.

BARTHOLOMÆVS CÆPOLLA Veronenſis I.C. Patrum memoriâ Veronæ floruit; qui cum doctiſſimus ſit, multa ab ſe edita opera publicauit, in quibus ſunt:

Cautela Iuris cauſſarum ciuilium liber I.
De ſimulatis contractibus liber I.
De prædijs vrbanis liber I.
De prædijs ruſticorum liber I.
De Re militari liber I.
In I.Cod. & II. de furtis liber I.
De ſeruit. Vrb. prædio. ruſticorum.
Conſilia criminalia de contract.
De Imperatore Militum deligendo.
In authenticam, Sed nouorum, & alia quædam.
Item Commentaria in tit. ff. de Edil. edicto cum Legum, & C. ſummarijs.

FRAN-

FRANCISCVS FELICIANVS LACISIVS. MATHEMATICVS.

NVnc cęterarum artium, & diſciplinarum peritos referam. Atque ante omnes FRAN. FELICIANVM LACISIVM, qui cùm eſſet Matheſeos peritiſſimus, de Arithmeticâ, & Geometriâ ſpeculatiuâ, & practicâ cõmentarios linguâ Italicâ edidit.

PETRVS PITATVS ASTROLOGVS.

PETRVS PITATVS Veronenſis, cum quo, quandiù Veronæ fui, familiariſſimè verſatus ſum, ideoq; eius mores, & eruditionem perſpecta habeo. Qui, cùm Mathematicarum diſciplinarum, & præſertim Aſtrologiæ peritiſſimus ſit, multa in eâ facultate ſcripſit, quæ publicauit; multa adhuc nõ excuſſit, multa etiàm interim adornat. Vulgauit verò

Almanach nouum, ſuperadditis annis V. ſupra vltimas hactenus editas Ioannis Stoeflerĩ Ephemerides, ab anno 1551. vſq; ad 1556. Cum Iſagoga in Aſtronomiâ de electionibus reuolutionibus, mutatione aëris, horarijs tabulis, &c. cum Supplemento Ephemeridum eiuſdem.

Eiuſdem Almanach nouum ad annos xi. incipiens ab anno 1552. vſque ad annum 1562.

Addita Iſagogica in Cęleſtem Aſtronomicam diſciplinam.

Tractatus tres perbreues de electionibus, reuolutionibus annorum, & mutationibus aëris.

Nùndùm publicauit verò opera hæc, iàm ædita:

De anno, & die Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti.

De Calendarij, & Anni Iuliani emendatione.

POETÆ

Digitized by Google

POETÆ, & ORATORES.

EST profectò Veronenſibus peculiaris quædam è cœlo indulgentia, atq; benignitas donata; vt, qui al:bi terrarum Oratores, & Poëtæ multis laboribus, & ſæculis fiant, hîc ſpontè, & ab incunabulis naſcantur; cuius rei teſtes ſunt, quos ſupra enumeraui Poëtas, Catullum, Macrum, Fracaſtorium, & Gabiam, Oratores verò, Plinios, Nepotem, & quos mox ſuggeram. Nàm ſuperiores facultatibus prçſtantioribus, in quibus maximè excelluerunt, comprehendi, hos verò quàmquàm & in alijs polluerint artibus, poëticæ maximè valuerunt, vt

AVGVSTINVS BEATIANVS.

HIc carmine Veronam elegantiſſimè deſcripſit. Cuius digna Epigrammata, cum Verona ipſa, Baſileæ ab Oporino excuſſa ſunt, in libello Variorum Poëmatum.

JOANNES COTTA.

IOANNES COTTA, oppido agri Veronenſis Liniaco ortus, doctus Orator, & Poëta elegãtiſſimum Epigrammatum libellum ſcripſit. Item Orationes aliquas, quæ extant. Chorographiæ quoque opus nobile verſibus inchoauit, & in Plinium erudita ſcholia, quæ perierunt, edidit.

ADA-

Digitized by Google

ADAMVS FVMANVS.

VIvit adhuc Veronæ ADAMVS FVMANVS, Eccleſiæ noſtræ Canonicus, vir vtrâq; linguâ diſertiſſimus; quod facilè ex Baſilij Magni operibus, ab eo in Latinum ſermonem è Græco verſis, intelligi poteſt. Cùm autem poeticæ peritiſſimus ſit, multa edidit elegantiſſima Epigrammata, Elegias, & alia id generis carmina, ſuaui modulatione referta.

HISTORICI.

P. ÆMILIVS.

VERONENSIVM multi varias ſcribere Hiſtorias, non ſine ſummâ laude, ſunt aggreſſi. Inter quos principem locum tenet PAVLVS ÆMILIVS Veronenſis: qui Libros VIII. de Geſtis Francorum diuinè ſcripſit: quos à primâ eius gentis origine vſque ad Franciſcum, qui proximè regnauit, produxit. Stylus comptus, oratio diſerta, diligentia, & dicendi copia ingens.

Digitized by Google

TORELLVS SARAYNA.

TANTVM TORELLI SARAYNÆ præſtantiſſimi Iuriſconſulti manibus Vrbs noſtra debet, quantùm Romã Liuij, Venetiæ Bembi, & Sabellici, Conſtantinopolis Zonaræ, & Nicetæ, & cæterę Vrbes ijs, qui eas, earumquè geſta, atque primordia à ſitu, & tenebris, temporumq; malignitate vindicarunt: is enim omnium primus Vrbem noſtram illuſtrare aggreſſus eſt; & obſcuriſſimã quæq; explanare. Quod etiàm, quantùm temporis ratio paſſa eſt, duobus libris egregiè præſtitit. Quorum primo, Latino ſermone conſcripto, breuiter originem, & amplitudinem Ciuitatis, eiuſq; ædificia; altero, Italica lingua exarato, eius geſta ab Othonis primi Imperio vſque ad Scaligerorum excidium accuratè expoſuit. In quò liberæ Ciuitatis, & ſub Scaligerorum principatu conſtitutæ, acta omnia ſingillatim, & diligenter collecta, tàmquàm clariſſimo ſpeculo inſpici, & intelligi poſſunt. Obijt vir doctus, & de patriâ, ciuibuſq; ſuis optimè meritus, dicennio antẽ.

GVILLELMVS PASTRENGVS.

GVILLELMI PASTRENGI Veronenſis liber cognitu, lectuq; iucundiſſimus eſt, quem accuratiſſimè de Originibus rerum vir doctus edidit. In eo.n. de ſcripturis virorum illuſtrium ordine litterarũ, de fundatoribus vrbium, de primis rerum nominibus, de inuentoribus rerum, de primis dignitatibus, deq; magnificis inſtructionibus agitur.

Digitized by Google

JOANNES DIACONUS.

IMmenſi laboris hiſtoriã ſcripſit IOANNES DIACONVS, Canonicus Eccleſiæ Veronenſis, à Iulio Cæſare vſque ad Imp. Henricum VII. Aug. Lutzemburgenſem, ſub quo vixit, annumq; Chriſti M CCCX. Ex quâ multa cognitu non indigna, quæ his noſtris inſerui Commentarijs, hauſi. Extat adhuc Acephala in Bibliothecâ doctiſsimi, & ſanctiſsimi viri Hier. Taliaferri Ciuis nobiliſsimi Parmæ; quam ipſe, Ticini ſe comparaſſe, mihi rettulit; populatione Papienſi è Ducali Vicecomitum Bibliothecâ erutam. Quò eam ex Veronâ Io. Galeatius I. Dux Inſubrum transferre curauerat, cùm Bibliothecam illam conderet.

ONUPHRIUS PANUINIUS.

NON incongruum eſſe viſum eſt, & me ipſum inter hiſtoriæ profeſſores nouiſsimum Veronenſium omnium collocare: quippe qui huic ſtudio, adhuc puer, neq; ætatis duodecimum excedens annum impenſiſsimè vacare ceperim; eo ipſo tempore, quo Sancti Auguſtinianorum inſtituti veſtes Veronæ aſſumpſi; à quo ad annum Chriſti M D LIX. qui eſt ætatis meæ XXX. hæc ferè conſcripſi.

Auguſtiniani Ordinis Chronicon, per annorum ſeriem digeſtum à S. Patre noſtro Auguſtino ad annum M D L. & creationem Iulij Papæ III. liber excuſſus eſt Romæ apud Antonium Bladum.

Romano-

Digitized by Google

Romanorum Pontificum, & Cardinalium S.R.E. ab eiſdem à Leone Papâ ix. ad Paulum Papam IIII. per quingentos poſteriores à Chriſti Natali annos creatorũ chronicum impreſſum Venetijs apud M. Tramezinum.

Faſtorum Magiſtratuum libri V. à Romulo Rege vſque ad Imp. Cæſarem Ferdinandum Auguſtum. Excuſſum Venetijs apud V. Valgriſium.

In Faſtorum lib. V. commentaria, Excuſſ. Venetijs apud V. Valgriſium.

Faſtorum appendix; In quâ ſex Faſtorum Conſularium auctores emendatiùs, & correctiùs excuſſi ſunt.

De ludis ſæcularibus, Sybillis, & carminibus Sybillinis lib. I.

De antiquis Romanorum nominibus, & familijs lib. I. Venetijs, vt ſupra.

Reip. Romanæ, ideſt, Vrbis Ciuitatis, & Imperij Commentariorum libri III.

Forum, quorum maxima in Italiâ Imperia fuêre à Cæſare dictatore vſque ad præſens tempus, excuſſ. Baſileæ apud Oporinum libri IIII.

De Comitijs Imperij liber I. excuſſ. Baſileæ, vt ſupra.

Antiquitatum Veronenſium libri VIII.

De antiquis Chriſtianorum in Vrbe Baſilicis, ædibus, & templis lib.

Libri editi, & nùndùm excuſſi.

De ludis antiquorum Theatralibus, Circenſibus, & munere Gladiatorio libri III.

Antiquarum totius terrarum orbis inſcriptionum liber I.

Chronicon vniuerſale ab vrbe conditâ ad ann. M D LX.

De Dignitate Sedis Apoſtolicæ libri III.

De Origine Sacrorum Ordinum libri II.

De Origine Cardinalium liber I.

De variâ Creatione Rom. Pontificis liber I.

Digitized by Google

tus, eas in apertam lucem tùm ſcribendo, tùm docendo laborioſiſſimè, reuocare cœpit; cuius, dubium eſt, an boni mores, vitæq; ſanctitas, an optimarum artium cognitio plus nobis præſtiterit: ipſe etiàm adoleſcens, cùm Chryſoloræ Byzantini auditor fuiſſet, Græcas litteras primus Italicorum poſt Imperij Romani caſum in Italiâ ſuſcepit. Scripſit verò complura, & egregia, in quibus præcipua;

Ad Leonellum Principem de differentiâ aſſentatoris, & amici lib. I.

Grammaticæ breuis introductio lib. I.

Comparatio Scipionis, & Gaij lib. I.

Epiſtolarum ad diuerſos lib. I.

Orationum complurium lib. I.

Carminum multorum liber.

Tranſtulitque è Græco in Latinum ex Plutarcho vitas Coriolani, Fabij maximi, M. Marcelli, Philopomanis, Flaminij, Liſandri, Syllæ, Marij, Eumenis, Niciæ, Craſſi, Alexandri Magni, Dionis, M. Bruti, Homeri.

Item Euagoræ ex Iſocrate.

Item Plutarchi libros de educandis liberis, & de comparatione hiſtoriarum Græcarum, & Romanarum, quæ dicitur Paralella.

Tranſtulit etiàm Geographiæ Strabonis libros XVII.

Carmina edidit de vocabulorum differentijs.

Commentarios in Orationem Ciceronis pro Sex. Roſcio Amerino.

Item libellum de dictionibus, quæ cum diphtongo ſcribuntur.

Floruit in Italiâ, circa annum Domini M C D.

Digitized by Google

RAYNALDVS GRAMMATICVS.

BLONDVS in Italiâ illuſtratâ, vbi de Vrbe noſtrâ loquitur. *Genuit*, inquit, *Verona RAYNALDVM inſignem, ſicut Franciſco Petrarcha placet, Grammaticum, &c. Cuius ipſe Petrarcha in epiſtolis ſuis mentionem facit*. Neq; de eo quicquam præterea inueni.

JOANNES SALERNVS.

IDEM Blondus paulò poſt, ipſo loco: *IOANNES etiàm SALERNVS* (inquit) *Veronenſis ad Equeſtris dignitatis inſignia, doctrinam, & facundiam, ſocios addidit*.

BAPTISTA GVARINVS.

BAPTISTA GVARINVS Veronenſis, GVARINI doctiſſimi viri filius, patrem imitatus; cùm eruditiſſimus eſſet, multa ſcripſit; in quibus numerantur hæc:

De ſectâ epicureâ lib. I.
De ordine docendi lib. I.
De regno adminiſtrando liber I.
In epiſtolas Ciceronis Commentariorum lib. I.
In Faſtos Ouidij lib. I.
In Pharſalicos Lucani lib. I.

In

Digitized by Google

In Catullum Poëtam lib. I.
Orationum plurimarum lib. I.
Epiſtolarum ad diuerſos lib. I.
Carminum varij generis liber.
In latinum vertit ex Xenophonte Ageſilai laudationem.
Orationes aliquot Demoſthenis, Dionis, & Gregorij Nazianzeni ad Chriſtum, & Mariam.
Liber eius circumfertur de modo, & ordine docendi, ac diſſerendi.

Claruit in Italiâ Anno Domini M C D L.

DOMITIVS CALDERINVS.

IVVENILIBVS interceptus annis DOMITIVS CALDERINVS Veronenſis, immaturâ morte ob commune omnium litteratorum diſpendium, non modò à patriâ, ſed ab vniuerſâ Italiâ deploratus; qui emergentes à teterrimâ colluuione litteras ad lucidiſſimum ſplendorem ad manum antiquitatis erutor deduxit: abſtruſa Poëtarum, & Oratorum loca ea ingenij acuitate enucleanda inueſtigauit; vt Satyricum Aquinatem Iuuenalem à doctiſſimis haud ità intellectum, multaquè ignoratione à vero lectionis ſenſu deuium, atque diſtractum, ad priſcum intelligentiæ nitorem elegantibus commentarijs reſtituerit. Martialem ab hominum memoriâ iàm abolitum, Statium Papinium lethæa carie ſepultum, ſcrupulis enodatis, pueris etiàm legendis mirâ cum facilitate, commentarijs illuſtratos, reddidit. Idem in Tranquillum, Naſonis ibim, Epiſtolas Ciceronis fecit. Scripſit præterea aduerſus Protheum Grammaticum librum,

Digitized by Google

Epiſtolarum librum I. Orationes varias; Pauſaniæ hiſtorici Attica, & Corinthiaca latina fecit; Aliquot libr. annotationum, ſiue obſeruationum, conſcripſit in varios auctores. Profuturus poſtremò non modò in Plinianâ lectione, verùm in omni oratoriâ facultate, niſi illum nobis intempeſtiua mors inuidiſſet. Cuius ingenij ſupra iuueniles annos, perſpicacitatem, atque doctrinam admiratus Xiſtus IIII. Pont. Maximus ei grande annuæ mercedis ſtipendium, ex fiſco, pro publicâ lectione conſtituit. Quo legente, reliqua Romanorum Doctornm Academia ſtupefacta, & ab eius vnius ore dependẽs, obmuteſcebat. Obijt autem Romæ ſub Xyſti IIII. pontificatu.

IO. ANTONIVS PANTHEVS.

ERVDITVS admodùm, & eloquens IOANNES ANTONIVS PANTHEVS Veronenſis, Calderini condiſcipulus fuit. Ambo enim Græcis, Latiniſq; litteris ſub communi præceptore Antonio Broianiceno operam impenſè nauarunt. Pantheus verò vigore multum, & cum ingenuitate perſpicacitatem quandam redolebat. Scripſit Annotationes ex trium dierum confabulationibus ad Andream Bendam I. C. de Thermis Calderianis, quæ ſunt in agro Veronenſi. De Pliniorum patriâ. De alijs Balneis, & miro aliarum aquarum vſu, & pleraque alia, quæ iiſdem annotationibus, eleganter, accuratèq; conſcriptis, incluſa ſunt.

ANTO-

ANTONIVS BECARIA.

ANTONIVS BECARIA Veronenſis, Latinæ, Græcæq; linguæ peritus, Dionyſij Aphri poema Græcum de ſitu orbis latinum fecit, oratione proſâ. Idem etiã ex Plutarcho Pelopide vitam tranſtulit.

...... AVANCIVS.

AVANCIVS Veronenſis emendationes in Statij Papinij Syluas; quæ Venetijs excuſſæ ſunt, edidit.

BENEDICTVS MORANDVS.

BENEDICTVS MORANDVS Veronẽſis, Laurentium Vallam laceſſere auſus, duas contra ipſum inuectiuas ſcripſit, quarum confutationes à Vallâ ſcriptas, habemus.

BERNARDINVS VERONENSIS.

BERNARDINVS quidam nomine incerto Veronenſis, ſcripſit Commentarios in Tibullum, Romæ excuſſus, Anno Domini M C D LXXV.

ANTONIVS PARTHENIVS LACISIVS.

ANTONIVS PARTHENIVS LACISIVS Veronenſis Commentaria ſcripſit in Catullum Veronenſem, ſatis doctam, & erudito ſcriptore non indigna.

DONATVS VERONENSIS.

DONATVS quidam Veronenſis, vtriuſque linguæ peritus, Euſebij libros de Euangelicâ demonſtratione ex Græcâ linguâ in Latinam accuratè tranſtulit.

FRANCISCVS PHILIPPVS PEDEMONTIVS.

FRANCISCVS PHILIPPVS PEDEMONTIVS Veronenſis ſcripſit Commentaria in artem Poëticam Horatij, quæ excuſſa ſunt in Italiâ.

HIERONYMVS AVANCIVS.

HIERONYMVS AVANCIVS Veronenſis Poëtas quoſdam illuſtrauit; in his Catullum, Tibullum, & Propertium; qui ex eius reſtitutione Venetijs excuſſi ſunt.

HIE-

HIERONYMVS LEVRSIVS.

HIERONYMVS LEVRSIVS Veronenſis Magentini Commentaria in Ariſtot. librum de interpretatione,ex Amonio.. breuiter decerpta, in latinum ſermonem vertit.

HILARION MONACHVS.

HILARION MONACHVS Veronenſis, ſcripſit Paraphraſim Rhetoricæ Hermogenis.

IO. BAPTISTA BAGOLINVS.

IOANNES BAPTISTA BAGOLINVS, HIERONYMI filius, ſcriptoris Veronenſis, Græcæ, Latinæq; linguæ conſultiſſimus, Philoſophiæ quoque benè peritus, cum patre Hieronymo tranſtulit è Græco in Latinum Alexandri Aphrodiſęi quæſtiones naturales, morales; & librum de Fato: Idem Ariſtotelis, & Auerrois opera emendauit magnâ ex parte, & in ordinem redegit: quod opus antèquàm abſolutum eſſet, ipſe extremum ſpiritum exhalauit; ea Iuntæ excuderunt Venetijs.

FR.IO.

Digitized by Google

FR. IO. IOCVNDVS.

FR. IOANNES IOCVNDVS Veronenſis, Ordinis Prædicatorum, vir diſertiſſimus, & doctiſſimus, atque Magnifici LAVRENTII MEDICES, Florentinæ Reipubl. Principis, àmicitiâ clarus: multa edidit ingenij ſui monumenta, quorum præcipuum eſt, duûm millium, & amplius, veterum inſcriptionum in vnum corpus collectio; quæ Venetijs apud Stephanum Magnum, patritiæ gentis hominem, extant. Edidit etiàm annotationes, vt indicem, in Cæſaris commentarios.

MATTHEVS BOVIVS.

MATTHEVS BOVIVS Veronenſis, vir vt humaniſſimus, ità vtriuſque linguæ peritiſſimus; publicè nunc Veronæ Græcam, Latinamque linguam ſummâ cum omnium laude, & admiratione profitetur; Philoſophiam autem cum optimè caleat; Ioannis Alexandrei Philopponi in libr. iij. Ariſtotelis de animâ breues annotationes ex diſſertationibus Ammonij Hermei; cum quibuſdam proprijs meditationibus, latinas fecit.

PAV-

Digitized by Google

PAVLVS LACISIVS.

PAVLVS LACISIVS Veronenſis tranſtulit Ioannis Trer. variarum hiſtoriarum chiliadas, verſibus politis Græcè conſcriptas; quas excudit cum verſione è regione Ioannes Oporinus, Baſileæ:

PETRVS FRANCISCVS ZINVS.

PETRVS FRANCISCVS ZINVS Veron. cùm Græcam, Latinamq; linguam optimè caleat, Gregorij Nazianzeni Orationem de amandis, & amplectendis pauperibus, & D. Gregorij Niſſæni Epiſcopi eiuſdem argumenti Orationes duas è Græco in Latinum tranſtulit.

VINCENTIVS ROSETVS.

VINCENTIVS ROSETVS Veronenſis, tranſtulit Stephani Vannei Recanatenſis Eremitæ Auguſtiniani Auream muſicam, ex Italico ſermone in Latinum.

GENEBRIA NOGAROLA.

NEC mulieres Veronæ defuerunt, doctrinæ, eruditionisq; nomine excellentes, litterarum latinarum benè peritę; quod portento ſimile videri poteſt; quales fuêre GENEBRIA, ANGELA, ISOTTAq; NOGAROLÆ Virgines Veronenſes, quorum

GE-

Digitized by Google

GENEBRIA PIO II. Pontifici Maximo luculentiſſimas latino ſermone Epiſtolas ſcripſit; cui Pontifex reſponſionem dignatus, eius ingenium maximoperè admiratus eſt.

ISOTTA NOGAROLA.

ISOTTA verò admirabili erudiſtione pollebat. Cuius tàm in humanioribus litteris, quàm in Philoſophiâ tanta peritia erat; vt & doctiſſimè, & elegantiſſimè Epiſtolas multas ſcripſerit; res dictu mira, vt tantus in virgine ſpiritus, & tanta dicendi copia, cùm doctrinâ coniuncta eſſet. Hæc doctiſſima virgo, præter Epiſtolas elegantiſſimas ad NICOLAVM V. & PIVM II. Romanos Pontifices ſcriptas, compoſuit Dialogum etiàm, in quo diſputat; qui primus, aut magis, Adam, an Eua peccârit.

VERONAM igitur ingeniorum fœcundiſſimam in omnium liberalium artium ſtudijs præſtantiſſimos viros edidiſſe, ſatis ex his, quos enumeraui, manifeſtum eſſe poſſe, exiſtimo. Quæ nec minoris pretij viros tùm bellicâ laude Illuſtres, tùm varijs in artibus celebres protulit; vt, Cantores, Pictores, Architectos, & reliquos id genus homines; de quibus Tertiâ claſſe, poſtquàm viros bello inſignes concinnauero, diſſeram.

Digitized by Google

VERONENSES BELLICA LAVDE ILLVSTRES.

C. GAVIVS STRABO MAXIMVS.

RES Militaris præclaros nobis oſtendet viros, qui Veronæ laudes accumulant; Atque vt à vetuſtiſſimis incipiam, ijs enumerandis C. GAVIVS MAXIMVS initium dabit; qui Veronæ ortus, Romæ ſub Antonino Pio ſummos militares honores percurrit. Nàm & Conſul ordinarius cum Lolliano Auito anno Chriſti C X L V. fuit, & ad XX. annum Prætorij Præfecturam integrè, prudenterq; adminiſtrauit. De quo in Pio ità meminit Capitolinus. *GAVIVS MAXIMVS Præfectus Pratorij vſque ad XX. annum ſub Antonino Pio peruenit ſeueriſſimus, cui Tatius Maximus ſucceſſit.* Et in vetuſto Epigrammate,

C. GAVIVS. C. F. STRABO. MAXIMVS. COS.

ILDO-

Digitized by Google

ILDOVALDVS GOTHARVM in Italiâ Rex.

BELLO Gothico Italico, quod decem, & octo annis Iuſtinianus Imperator, cum Gothis geſſit, cùm à Beliſario rei militaris in Italiâ Ducis Gothorum Rex Vitiges captus, atque Conſtantinopolim adductus fuiſſet; Gothi Veronæ congregati, ILLOVALDVM Veronenſem, ex ſuorum proceribus vnum, Regno præfecerunt. Cuius vitâ cùm res Gothica reſtaurari poſſe crederetur, altero imperij menſe ipſe abijt, atque Araticum Rogum Regni ſucceſſorem habuit. Ex Procopio lib. iij.

RICIARDVS COMES S. BONIFACII.

FRIDERICO AENOBARBO Romanis imperante, circa annum Chriſti M C LXX. in omnem terram Italiam diræ, & ſæuæ Guelphorum, & Ghibellinorum factiones peruagari ceperunt; nàm in diſſenſione, & bellis, quæ inter Imperatorem Fridericum, & Alexandrum III. Pont. Max. exorta ſunt, cùm tota Italia ſciſſa eſſet, qui Imperator. partibus ſtudebant, Ghibellini; qui Pontificis verò, Guelphi appellabantur. Cęterarum omnium Ciuitatum morem & Veronenſes ſequuti ſunt. Nàm in duas partes diuiſa Vrbs, duas nobiliſſimas familias factionum capita conſtituit. Guelphorum fuerunt Comites S. BONIFACII, Ghibellinorum verò MONTICVLI. Cæterum inter reliquos,

Digitized by Google

ſiquos, quos plures tulit S. Bonifacii gens, bello illuſtres viros, Guelphæ factionis notiſſimus Dux, & totâ Italiâ celebratus fuit RICIARDVS Comes S.Bonifacii; qui ſub Friderico II. Aenobarbi nepote, in Italiâ floruit. Hic, cùm rei militaris peritiſſimus eſſet, Pontificias partes ſæpiſſimè tutatus eſt. Fridericum, Parmam obſidentem, memorabili clade ab obſidione ſubmouit; ingentes Ghibellinis calamitates,& damna intulit. Obijt ſenex Brixiæ, omnibus Italiæ deploratus; de quo plura dicimus in hiſtorijs Veronenſibus, quas iàm nunc etiàm inſtituimus.

CANIS GRANDIS SCALIGER.

ET Belli, & pacis artibus ſuo ſæculo clariſſimus fuit CANIS FRANCISCVS SCALIGER; à geſtarum rerum magnitudine, pro Francisco, Grandis appellatus. Hic præterquàmquòd Dantis, & Franciſci Petrarchæ amicitiâ inſignis fuit; eosq; exules extulit, vnicèq; amauit, bellicâ gloriâ ita valuit; vt,cùm principatum vnius tantum noſtræ vrbis adeptus eſſet, ipſe vndeuiginti, quibus in imperio fuit, annis, Vicetiam, Patauium, Brixiam, Taruiſium, Feltrum, Ciuitatem Belluni, Carniam omnem, & forum Iulij ſuo imperio adiunxerit. Gonzagamque Familiam, Paſſarinis antiquis Mantuæ Tyrannis eiectis, eidem vrbi impoſuerit. Vndè meritò Magni eo tempore cognomen meruit. Fuit præterea liberalis, doctus, munificus, litteratorum cultor, atq; admirator, ingenij perſpicaciſſimi; & ea omnia habuit, quæ in vero Principe requiri ſolent. Obijt Taruiſij quadra-

dragenarius, quinto poſt eam vrbem captã die, aſſiduo, & continuo militię labore confectus; cadauer Veronam relatum, ſuper portam ædis S. Mariæ Antiquæ ſepultum eſt; atq; Epigramma hoc ſepulcro additum.

SI. CANIS. HIC. GRANDIS. INGENTIA. FACTA. PEREGIT.
MARCHIA. TESTIS. ADEST; QVAM. SAEVO. MARTE. SVBEGIT.
SCALIGERAM. QVI. LAVDE. DOMVM. SVPER. ASTRA. TVLISSET.
MAIORES. IN. LVCE. MORAS. SI. PARCA. DEDISSET.
HVNC. IVLII. GEMINATA. DIES. VNDENA. PEREMIT.
IAM. LAPSIS. SEPTEM. QVATER. ANNIS. MILLE. TRECENTIS.

MASTINVS SCALIGER.

CANIS GRANDIS fratris filius fuit MASTINVS SCALIGER, Veronenſiũ & ipſe Princeps, animo, & rei militaris prudentiâ patruo non abſimilis; qui cùm eius hæres ſuſcepiſſet imperium auitæ ditioni Parmam, Regium, Lucã, & pleraq; alia oppida adiunxit. Erat ipſe Princeps manu Strenuus, liberalis, laboris patiẽtiſſimus, & militiâ acerrimus. Iudex fuit Veronenſi in imperio annis plus minus xxij. Obijt Veronæ, ſepultus in auitis monumentis, cuius tumulo additum hoc Elogium.

SCALIGERA. DE. GENTE. FVI. CELEBRIQVE. FEREBAR.
NOMINE. MASTINVS, CLARAS. DOMINABAR. IN. VRBES.
ME. DOMINVM. VERONA. SVVM, ME. BRIXIA. VIDIT.
PARMAQVE. CVM. LVCA. CVM. FELTRO. MARCHIA. TOTA.
IVRA. DABAM. POPVLIS. AEQVO. LIBRAMINE. NOSTRIS.
OMNIBVS. ET. FIDEI. CHRISTI. SINE. SORDE. SEQVVTOR.
OCCVBVI. PRIMO. POST. ANNOS. MILLE. TRECENTOS.
ET. DECIES. QVINQVE, LVX. IBAT. TERTIA. IVNI.

CAN-

Digitized by Google

CANSIGNORIVS SCALIGER.

VERONÆ & hic Princeps magnanimus, fortis, & potens fuit, ALBERTI, MASTINI fratris, filius. Qui fratre maiore Principe CANE GRANDE iuniore occiſo, Veronæ imperium inuaſit; quod pluribus annis non ſine laude bellicâ obtinuit. Obijt poſtremò, & marmoreo tumulo propè auita monumenta conditus eſt: Habetq; hanc inſcriptionem.

SCALIGER. HAC. NITIDA. CVBO. CANSIGNORIVS. ARCA;
VRBIBVS. OPTATVS. LATIIS. SINE. FINE. MONARCHA.
ILLE. EGO. SVM. GEMINAE. QVI. GENTIS. SCEPTRA. TENEBAM.
IVSTITIAQVE. MEOS. MIXTA. PIETATE. REGEBAM.
INCLYTA. CVI. VIRTVS. CVI. PAXI TRANQVILLA. FIDESQVE,
INCONCVSSA. DABVNT. FAMAM. PER. SAECLA. DIESQVE.

M. C. C. C. LXXV. OCTOBRIS. XIX. OBIIT. MAGNIFICVS.
CANSIGNORIVS.

PETRVS VERMES.

HIC MASTINI, Veronenſium Principis, exercitus Imperator creatus, multa egregia facinora edidit Anno Domini M C C C XXIIX.

LVCHINVS VERMES.

LVCHINVS VERMES ſummo, & nobiliſſimo loco Veronæ ortus; vir bello inſignis, exercitus Venetorum imperator; Cretam Inſulam Venetis rebellem, perduellibus cæſis, & omnibus pacatis, ſuâ virtute recepit. Quare ab ijs in Senatum adſcitus, atque in Patricios Venetos lectus; poſtea in Turcas, Chriſti Dei noſtri hoſtes, fortiter dimicans, glorioſiſſimè, & magnis editis de ijs ſtragibus, occubuit, anno MCCCLIII. Cadauer Veronam relatũ, in ſepulcro à ſe extructo in Baſilicâ D. Euphemiæ ſepultum eſt, cum inſigni elogio.

IACOBVS VERMES.

LVCHINI filius IACOBVS VERMES, patri haud quaquã abſimilis, rem primi Ducis Inſubrum, Ioannis Galeatij Vicecomitis ab imminentibus periculis fortitudine, & conſilio ſæpè tutatus eſt: Qui Armeniaci Comitem, & Ioannem Bencum Anglicum, aduerſus Mediolanenſes maximo cum exercitu venientes, prœlio apud Alexandriam commiſſo, profligauit, & factâ ingenti ſtragẽ, Armeniacum captiuum cepit. Quare à Ioanne Galeatio Duce ampliſſimis muneribus; Item Bobio, Vogeria, & aliquot præterea caſtellis donatus, ad ampliſſimos honores euectus eſt. Huius adhuc poſteri vigent in Mediolanenſi principatu, ijſdem in oppidis dominantes.

LVDO-

LVDOVICVS VERMES.

MIlitiæ PHILIPPI MARIÆ Vicecomitis, tertij Inſubrum Ducis, Princeps fuit LVDOVICVS VERMES, cuius multa in Corij hiſtorijs mentio eſt.

GEORGIVS CABALLVS.

BELLO Cretico cum LVCHINO Verme GEORGIVS CABALLVS Veronenſis, Eques præſtantiſsimus, militariumque ordinum Ductor, nauatæ tùm in Cretâ, tùm alibi fortiter operæ id rettulit decus; vt cum Luchino in ampliſsimũ ordinem cooptatus ſit. Huius etiàm auſpicijs Feltrum, & Bellunum, Pola, & Iſtria, Venetis rebelles, in deditionem receptæ ſunt. Obijt Venetijs, ſepultus in Baſilica SS. Io. & Paulli. Huius poſteri adhuc Venetijs maxima in dignatione ſuperſunt. Quorum præcipuum nunc decus eſt Marinus Caballus Senator integerrimus, atque hoc ipſo anno Prætor Conſtantinopolim miſſus.

PAVLVS LVCIASCVS.

CLAVDAT tot illuſtrium virorum ſeriem PAVLVS LVCIASCVS, vir, vt fortiſſimus, ità callidiſsimus; cuius præcipuè operâ Carolus Cæſar bello vſus eſt.

Digitized by Google

BARTOLOMEVS S. SEBASTIANVS.

VENETI exercitus Tribunus Militum ſtrenuè nauatæ in bello operæ id prætium à Venetis tulit, vt Lacus Benaci Capitaneus creatus ſit; eaque dignitas in poſterûm familiæ donata.

GENS POMPEIA VERONENSIS.

Vide Fr. Leandrum.

VINCENTIVS RVFFVS MVSICVS.

VINCENTIVS RVFFVS Veronæ honeſto loco natus, Muſicæ artis ſcientiſsimus, præcipuâ concinnitate cantus, & modos fecit, quos Motecta vocant; Cuius Muſica cùm ſuauis, tùm harmonica eſt. Choro noſtræ Eccleſię Magiſter aliquandiù præfuit. Docet nunc Genuæ, eodem in honore habitus, non ſine ſummâ omnium voluptate, & admiratione.

MICHAEL

MICHAEL DE S. MICHAELE ARCHITECTVS.

QVALIS Architectus ſit, quàmque præſtantiſsimus MICHAEL Veronenſis, docent eius ingenio artificioſiſsimæ Moles Veronæ fabricatæ: vt propugnacula duo, Portæ immenſi operis, & laboris.

L. TVRPILIVS EQ. ROMANVS.

PICTORES etiàm egregios tàm noſtro, quàm vetuſtiſſimo illo Romanorum ſæculo Vrbs noſtra tulit; Quorum præcipuus fuit L. TVRPILIVS Eques Romanus, de quo Plinius libro xxxv. cap. iiij. ſic mentiouem facit: *Clariorem Picturæ artem Romæ fecit gloria Scenæ: poſtea non eſt ſpectata honeſtis manibus; niſi fortè quis Turpilium Equitē Romanum è Venetia noſtra ætatis velit referre, hodiequè pulchris eius operibus Veronæ extantibus. Læua is manu pinxit, quòd de nullo antè memoratur, paruis gloriabatur tabellis extinctus nuper in longâ ſenectâ.*

ALTICHIERIVS PICTOR.

BLONDVS, vbi de Veronâ loquitur, ità ait: *Pictoriæ artis peritum Verona ſuperiori ſæculo habuit ALTICHERIVM.*

PISA-

5

PISANVS PICTOR.

SVbijcit Blondus ibidem : *Sed vnus Veronæ ſupereſt, qui famâ cæteros noſtri ſæculi faciliter anteceſſit, PISANVS nomine, de quo Guarini Carmen extat, quod Guarini PISANVS inſcribitur.*

STEPHANVS PICTOR.

STEPHANVS de Giebeto agri Veronenſis Pictor, ſuperiori ſæculo excellentiſſimus vixit. Cuius ea præcipua, & omnibus admiranda laus fuit in Picturâ, vt colores ità diſponeret, quod natiui, & naturales vidētur. Huius quàmplurima extant Veronæ opera tùm in noſtra Baſilica, tùm alibi; quibus eius diligentia, & excellentia facilè ab artis peritis intelligi poſſunt.

VERONÆ,

Typis, & ſumptu Angeli Tami. 1621.

Permiſſu Superiorum.

Ioës Camillus Gloriosus S.

VA1 1505935

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

150
C
31

B
VITT.
1
3